Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Poena Damnatorvm Nvmqvam Finienda, Ex Esaiae LXVI. Vers. XXIV. Aliisqve Scriptvrae Locis Contra Lvdovici Gerhardi Systema Apokatastases, Dissertatione Academica Adserta

Ienae: Apvd Io. Fridericvm Rittervm, [1728?]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862091616

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862091616/phys_0001
DFG

53

Fa-1092(53)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862091616/phys_0002
DFG

Q. D. B. V.

POENA DAMNATORVM NVMQVAM FINIENDA,

EX ESAIAE LXVI. VERS. XXIV.
ALIISQVE SCRIPTVRAE LOCIS
CONTRA M. LVDOVICI GERHARDI
STSTEMA ΑΠΟΚΑΤΑΣΤΑΣΕΩΣ,
DISSERTATIONE ACADEMICA
ADSERTA.

QVAM
PRAESIDE
IO. FRANCISCO BVDDEO,
TH. D. ET P. P.
A. R. S. M DCC XXVIII. AD DIEM XIX. MAII
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SISTIT
IACOBVS MOELLER,
GVSTROA-MECKLENBVRGICVS.



26.

IENAE, APVD IO. FRIDERICVM RITTERVM.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862091616/phys_0003
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862091616/phys_0004
DFG

INCLITAE CIVITATIS GVSTROVIAE

VENERANDO

MINISTERIO ECCLESIASTICO

VIRO

MAGNIFICO SVMMEQVE REVERENDO

DN. IOANNI CHRISTIANO SCHAPERO,

S. THEOLOGIAE DOCTORI, SACRI SENATVS CONSILIARIO, ET DIOECESEOS GVSTROVIENSIS ET ROSTOCHIENSIS PRAESVLI,

VIRIS

PLVRIMVM REVERENDIS, PRAECELLENTISSIMIS AMPLISSIMIS ET PRAECLARISSIMIS

DN. NAEMAN REDELFSEN,

PASTORI CATHEDRALI ET REVERENDI MINISTERII GVSTROVIENSIS SENIORI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862091616/phys_0005
DFG

DN. IVLIO ERNESTO HAHNIO,
TEMPLI CATHEDRALIS PASTORI,
DN. M. IOACHIMO DARIES,
PASTORI ECCLESIAE PAROCHIALIS,
DN. M. IOANNI GEORGIO LVGERO,
PASTORI ITIDEM PAROCHIALI,
DN. CHRISTIANO WITSCHIO,
AD AEDEM S. SPIRITVS PASTORI,
VIGILANTISSIMIS, FIDELISSIMIS, OPTIMEQVE MERITIS,
DOMINIS PATRONIS ET STVDIORVM SVORVM FAVTORIBVS,
OMNI PIETATIS OBSERVANTIAEQVE CVLTV VENERANDIS,

QVALESCVMQVE HASCE STVDIORVM SVORVM
PRIMITIAS
PIA MENTE,
CVM VOTO OMNIGENAE FELICITATIS
OFFERT ET CONSECRAT
A. ET R.
IACOBVS MOELLER,
S. THEOL. ET PHILOS. CVLTOR.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862091616/phys_0006
DFG

* * * * * * * * *

PRAESTANTISSIMO IVVENI

IACOBO MOELLERO,

AVCTORI HVIVS DISSERTATIONIS DOCTISSIMO

S. P. D.

IO. FRANCISCVS BVDDEVS.

CVm TIBI placuisset, praestantissime MOELLERE, doctrinam ecclesiae nostrae de poenis damnatorum numquam finiendis defendere, & tela, quibus LVDOVICVS GERHARDVS, vir cetera doctus, eam impugnare & confodere voluit, repellere; eo minus hocce institutum TVVM improbare potui, quo grauiores id suadere videbantur rationes, & quo gratior simul occasio fuit hoc pacto mihi oblata, mentem meam ista super re explicandi. Tametsi enim nouus hicce ἀποκαταστάσεως vniuersalis propugnator prorsus mihi huc vsque ignotus fuerit; suum tamen, quod de hocce argumento composuit, opus satis spissum nomini meo inscripsit, ea quidem ratione, vt me haud obscure ad certa-

men aliquod prouocaret. Et rei quoque grauitas, ne istud detrectarem, postulare videbatur; sicuti rursus parum consultum existimabam, contendendi pruritum, quo vir iste doctus laborat, alere; praesertim cum intelligerem, non defuturos, qui ecclesiae nostrae doctrinaeque in ea receptae caussam tuendam in se susciperent, eumque simul in rectum reuocarent tramitem. Quam & me minime fefelliſſe opinionem, euentus docuit; siquidem varias doctorum virorum, quibus meliora is docetur, iam in lucem prodiisse commentationes, accepi. Neque si silerem, id vitio mihi verti posse credebam: quum quae mea hac de re sit sententia, ex institutionibus meis theologiae dogmaticae omnibus constet; auctor vero etiam, si verba, quorum inopia non laborat, exceperis, nihil, ad rem ipsam quod attinet, dixerit, quod non saepe iam nostra aetate dictum sit ab aliis, saepius tamen iterum ab aliis refutatum.

Quum autem fama de strepitu, quem liber hicce hinc inde excitauerit, ad me quoque peruenisset: neutiquam committendum mihi esse arbitrabar, vt silentio meo in eam nonnulli inducerentur opinionem, ac si validiora

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862091616/phys_0008
DFG

diora esse, quae auctor ad caussam suam ornandam congessit, argumenta crederem, quam vt solide refutari possent, aut omnino calculo meo eius comprobarem sententiam; simul vero peropportune accidit, vt ad me, doctissime MOELLERE, accederes, TIBIQVE significares constitutum esse, argumenta praecipua GERHARDI, quibus vniuersalem istam ἀποκατάστασιν adstruere conatus est, dissertatione academica, sub meo moderamine, publico conflictui exponenda, examini submittere. Nec difficulter admodum TVIS adnuebam petitis, quum intelligerem, palam omnibus hac ratione fore, quae ab auctore isto in medium adlata sunt, ita esse meo iudicio comparata, vt adeo magno ad ea conuellenda opus non sit labore, vehementerque eum deceptum iri, si forte, me in sua transiturum castra aut sibi aut aliis persuasisset. Spei vero etiam, quam de TE animo conceperam, euentus respondit. Praecipua enim quaestionis huius capita tam perspicue explicasti, veramque tam luculentis muniuisti sententiam rationibus, quaeue in contrarium adlata sunt, aut adferri possunt, tam sollerter repulisti, vt quam inanis sit auctoris vbique se prodens iactantia, qua cer-

certissimam sibi pollicetur victoriam, nemo non sit cogniturus. Omnia equidem, quae is in vnum cumulum contulit, discutere, aut ad minutias descendere, nec instituti TVI, nec dissertationis academicae ratio permisit; sed nec necesse fuit, quum, fundamentis labefactatis, ea, quae iis superstructa sunt, non corruere nequeant. Superuacaneum itaque foret, si, ad caput caussae quod adtinet, aliquid addere vellem; quod & cur aliquis a me exspectet, nulla praesto est ratio; generatim tamen adhuc quaedam monere, nonnullaque, quae ab auctore in praefatione dicta sunt, expendere non prorsus abs re fuerit.

De summa caussae fiducia, quam is vbique prae se fert, nihil dicam. Fucum ea imperitis facere potest; minime autem illis, qui sciunt, variis ex caussis, imaginandi praesertim vi per adfectum quemdam excitata & corroborata, contingere posse, vt de erronea falsaque persuasione non minus aliquis sibi certus esse videatur, quam de luculentissima veritate. In ipso isto certamine ita se gerit, vt numquam non dissentientibus petitionem, quam vocant, principii imputet, ipsemet

contra

contra a formali, vt loquitur, vocum significatione numquam se discedere, glorietur. Qua in re mirifice se iactitat, sibique ita placet, vt hanc laudem sibi propriam esse velit, saepiusque adeo illud repetit. Paullo diligentius autem si cuncta consideres, eadem ista, quae in aliis perstringit, eum admittere vitia, deprehendes.

Ipsius effati, quod in dissertatione TVA, mi MOELLERE, ab eius sinistra interpretatione vindicasti, exemplo hoc probari potest. Quid clarius, quid euidentius verbis hisce: *vermis eorum non morietur & ignis non exstinguetur?* Nec negare audet GERHARDVS, ex iis recte colligi, id quod in homine cruciatus & dolores efficit, semper permanere: at Deum etiam poenis hisce finem non impositurum, ex iisdem euinci posse, abnuit. Vnde autem hoc probat? Certe in tota orationis serie nihil occurrit, vnde constare queat, hoc velle diuinum vatem, cruciatus istos in se spectatos numquam finiendos, Deum tamen aliquando finem modumque illis constituturum. Quae ergo GERHARDVM inducit ratio, vt verba ἀπλῶς posita hoc pacto restringenda contendat? Non alia quam haec,

quod ceu euictum adsumat, finiendos aliquando esse damnatorum cruciatus. Hoc enim qui sibi non persuadet, numquam illi in mentem veniet eiusmodi quid verbis diuini vatis addere, cuius in toto eius sermone nec vola exstat, nec vestigium. Istudne vero est, principii petitione sibi aliisque illudere?

Caussae porro suae praecipuum praesidium quum in verbis apostoli: ὥτω καὶ διὰ τῆς ὑπακοῆς τοῦ ἑνὸς δίκαιοι κατασταθήσονται οἱ πολλοί, constituat, formalem, quam semper in ore habet, significationem vocis ipsemet deserit, eamque quae tum demum, quum orationis series aliaeque caussae id suadent, locum inuenit, amplectitur. Vocem πολλοὶ enim, si ad formalem significationem attendas, *multos*, non autem *omnes* significare, quis ignorat? Eamque hic retinemus, immo retinendam ipsemet Paulus apostolus haud obscure indicat. Dum enim antea de iustitia Christi, prout omnibus hominibus offertur, loquebatur, diserte voce πάντες, quam & res ipsa postulabat, vtebatur. De acceptatione autem iustitiae istius deinde verba facturus, vocem πολλοὶ adhibuit. Id vero virum istum sanctissimum sine grauissima caussa fecisse,

quis

quis credat? Quae autem alia esse potuit, quam haec, quod probe intelligeret, non omnes homines istam seruatoris iustitiam vera fide apprehensuros, adeoque non omnes seruatum iri? Atque ita comparatio quoque ab apostolo instituta rectissime procedet. Etiamsi enim per vnius hominis παρακοὴν omnes constituti sint peccatores; simul tamen dicere poterat, multis eamdem labem adspersam esse, quum omnes homines etiam multi sint. At quum de omnibus dici nequeat, quod summi istius beneficii a Deo iis oblati participes fiant, Paulus, vt prius membrum comparationis posteriori responderet, summo studio vocem πολλοὶ vsurpauit, luculentissimeque hoc pacto docuit, non omnes homines iustitiam istam, qua Deo placere, saluique & beati esse queant, consequi; quum plurimi in peccatis perseuerare, quam a vitiorum sordibus animum purgare, & per veram in Christum fidem saluti consulere suae malint. Iudicium ergo penes omnes harum rerum peritos esto, quinam formali vocum significationi insistant? num auctor, cui πολλοὶ idem est ac *omnes*; an vero illi, contra quos disputat, quiue per τοὺς πολλοὺς multos intelligunt?

Sed haec aliaque eiusdem generis, praestantissime MOELLERE, ex ipsa dissertatione TVA iam constant. Occurrunt vero & in praefatione auctoris, quae animaduersionem quamdam promerentur. Profitetur ibi inter alia, se ista de ἀποκαταστάσει doctrina ad veram seriamque sui ipsius & mundi abnegationem adductum fuisse, simulque subinnuit, fieri non posse, vt illa eiusmodi quid, si falsa sit atque erronea, efficiat. Mirabar, quum ista legerem. Semper enim existimaui, veram sui abnegationem ex ipsa in Christum fide, aeque ac amorem Dei, quocum semper coniuncta est, oriri, vt adeo hypothesi ista de restitutione vniuersali opus non sit. Nullus etiam dubito, esse hinc inde viros pios vereque christianos, qui prauis cupiditatibus serio bellum indicunt, etiamsi ab ista de restitutione vniuersali sententia prorsus sint alieni. Fatetur equidem auctor, ex efficacia, quam doctrinae isti tribuit, veritatem eius probari non posse; quippe quae ex scriptura sacra constare debeat. Quod si ita est, non video, quem in finem ista adferat. Si enim veritatem inde colligere non licet; largiatur necesse est, posse eiusmodi quid ex doctrina oriri, quae

vera

vera non est. De eo, quod ipsemet in se sentire sibi videtur, dubium illi non mouebimus. Nec quisquam de eo temere cum illo disceptabit. Veritatem doctrinae inde colligi non posse, diserte fatetur. Ergo ex doctrina, quae vera non est, effectus iste exsistere potuit. Fallaciam autem quae hic latet, vir doctus, si voluisset, facile intelligere potuisset. Nihil frequentius, quam vt vmbra quadam ac inani virtutum christianarum specie miseri mortales se decipiant, dum, quae a caussis naturalibus deriuanda sunt, diuini spiritus opera esse censent. Si quis pertinaci sententiae erroneae defensione incommoda varia sibi attrahat; si forti & constanti animo, ne aduersariis cedere videatur, aut vt gloriam quamdam inde referat, ista toleret; facile sibi persuadebit, ad veram sui ipsius nihil sibi deesse abnegationem, cuius tamen forte genuinam nondum perspectam exploratamque habet indolem. Si ergo quaeras, num abnegatio sui, aut quae alia sunt eiusdem generis gratiae diuinae documenta, ex falsa doctrina oriri queant: serio vt te ipsum explores, iubebo, ne quod natura efficit, a spiritu sancto statim profectum credas. Deinde & hoc

te expendere velim, si vel maxime res ita, prout tibi persuades, sese habeat, contingere posse, vt effectum caussae tribuamus, quae vera caussa non est, sed quem ex alio deriuare fonte par erat. Exempla huius rei tam multa in promtu sunt, vt tempore abuti censerer merito, si ea adducere vellem.

Sed ista paullo accuratius expendere vt ipsius auctoris interest; ita totius ecclesiae euangelicae ratio postulat, vt quae de libris symbolicis disputat consideremus. Eos quidem, speciatim Augustanam confessionem, quum sibi obstare videat; in omnem sese vertit partem. Illorum non prorsus se comtemnere vult videri auctoritatem; hinc & id agit, vt lectoribus persuadeat, eos suae non repugnare sententiae: mox, quum animaduertit, quam infeliciter id sibi cesserit; parum illorum se moueri scitis, haud obscure significat. Vt ostendat, in ipso beati LVTHERI catechismo maiori vestigia doctrinae de restitutione vniuersali inueniri, praeunte IO. GVIL. PETERSENIO, ad haecce, quae in eo exstant, prouocat verba: *coelestis ac omnipotens pater, precamur te, vt regnum diaboli abolitum prorsus exstirpetur, ne quid iuris aut potestatis, isti in nos*

nos relinquatur, donec prorsus submersum fuerit, peccatis, morte & orco exstinctis, vt nos perpetuo in perfecta iustitia & felicitate viuamus. Enimuero, si quis LVTHERI hanc fuisse sententiam nobis persuadere velit; eum longe clariora euidentioraque ex eius scriptis proferre testimonia oportet. Non fuit ista beati viri indoles, vt sententiam, quam animo fouebat, dissimularet, & non, nisi velut aliud agendo, indicaret; quin potius, quo erat candore, plane, aperte, rotunde, quae sentiebat efferre solebat. Quum vero ex ipsis istis, quae recitauimus, verbis clarissime pateat, eum de iis, quae credentibus in Christum in hacce vita exoptanda & a Deo petenda sint, loqui: friuolum prorsus est, ea obtorto veluti collo ad ἀποκατάστασιν vniuersalem rapere velle. At vero hac ratione, a propria, inquis, verborum istorum discedendum erit significatione. Esto. Cur enim discedere non liceat? Namque & in scriptura sacra, si grauissimae id postulent rationes, hoc fas esse, neminem fugit. Ita vero, regeris, etiam fas fuerit a propria verborum significatione discedere, quum libri symbolici aliquid adserunt, quod restitutioni vniuersali aduersatur.

Fas

Fas erit, si rationes praegnantes id suadent, quales tamen nusquam, nisi in cerebro illorum, qui hancce omnibus obtrudere sententiam, suarum ducunt esse partium, inueniuntur. Interpretationem ita instituendam, ne quis sibi contradixisse temere videatur, me olim monuisse memini, atque recte monui. Hinc vero si concludas, interpretationem librorum symbolicorum ita instituendam, ne doctrinae de restitutione vniuersali repugnent, cum beatus LVTHERVS eidem sententiae addictus fuerit; adsumes iterum aliquid, quod probandum erat, criminisque, quod numquam non in alios coniicis, reus eris. LVTHERI enim hanc sedisse menti sententiam, dicitur equidem, sed non probatur; hinc & ab aliis, vt hoc sibi persuaderi patiantur, frustra postulatur.

Inani isto verborum adparatu quum parum se ad rei summam proficere videt; in ipsos libros symbolicos iterum arma sua conuertit, dumque ingens illis statuere vult videri pretium, simul tamen diuinarum litterarum effatis repugnantia in iis deprehendi, contendit, quoniam vniuersalem istam damnant restitutionem. Id vero, quod inde in

suam

ſuam redundat ſententiam, incommodum ſe non tam libris ſymbolicis, quam recentiorum theologorum, iſtis non recte vtentium, aut ſcopum, ob quem illi conditi atque introducti ſint, inſuper habentium, artibus tribuere, lectoribus perſuaſum cupit. Non alium enim in finem eos librorum iſtorum tam ſtrenue defendere auctoritatem, aut tam accurate illorum inſiſtere veſtigiis, & admittere quidquam, quod iis repugnet, nolle, ſubinnuit, quam quod metuant, ne a romanenſibus, quod ab Auguſtana confeſſione diſceſſerint, adeoque pax religioſa ad ſe non amplius ſpectet, ſibi obiiciatur. Hoc enimuero & alii, qui eiusdem cum auctore ſunt ſententiae, noſtrae eccleſiae ſubinde exprobrant theologis, idque ea ratione, vt illos in ſuſpicionem adducant, ac ſi non tam religionis cura, aut veritatis amore, quam commodorum ſuorum tranquillitatisque, ſine qua hancce vitam ſuauiter tranſigere non licet, ſtudio inducti pro ſymbolicis pugnent libris, nec vt ab iis quis diſſentiat, pati queant. Ego vero ſcire velim, an, qui talia ſibi aliisque perſuadere adnituntur, omnium animos intimosque cordium

receſſus ita perſpectos exploratosque habeant, vt, quid quisque clauſum pectore teneat, pronuntiare non vereantur? Num hominem decet, ea ſibi vindicare, quae ſibi ſoli propria eſſe, tam ſancte Deus teſtatus eſt? Num chriſtianae charitatis opus eſt, peſſima quaeque, etſi nullis ſuffulta rationibus, credere, atque vt credant alii, efficere velle? Errauit ergo Paulus apoſtolus, dum ſuſpicionem in veram non cadere adſeruit charitatem. Neque tamen ideo iſtud, quod Deus per pacem religioſam nobis conceſſit, in minimis ponendum eſt beneficium; multo minus nobis committendum, vt ſine vlla ratione aduerſariis occaſionem, eodem nos ſpoliandi, praebeamus.

Sed ad auctorem vt redeam, dum is hac de re ſe valde ſollicitum eſſe ſimulat; grauiori eccleſiam noſtram exponi periculo putat, ſi doctrina de reſtitutione vniuerſali reiiciatur, quam ſi admittatur; quum, ſi prius noſtrates faciant, ab ipſa ſcriptura ſacra aperte diſcedant, quam tamen fundamenti & principii loco ſe habere librorum ſymbolicorum conditores profiteantur. Qua quidem ratione optimo illis exprobrari iure poſſe, ab Auguſtana

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862091616/phys_0020
DFG

ſtana illos deſciuiſſe confeſſione, eosque adeo non eſſe, ad quos pax religioſa pertineat. Nimirum ſi cum pueris, qui verum a falſo, lucem a tenebris diſcernere neſciunt, illi res eſſet, magnum haud dubie illis incuſſurus eſſet metum, vt ad periculum imminens euitandum ambabus ſententiam eius amplecterentur manibus. More enim ſuo ceu certum exploratumque adſumit, ſuam de reſtitutione vniuerſali doctrinam euidentiſſimis ſcripturae teſtimoniis niti, eosque omnes, qui illam admittere nolunt, hoc ipſo ſignificare, quod Auguſtanae confeſſionis genuinum & vnicum principium euertant & labefactent. Ita ſemper triumphum canit ante victoriam, poſtulatque, vt alii quoque certum firmiſſimumque eſſe credant, quod lubricis immo nullis omnino inniti fundamentis, qui cuncta adcurate & animo tum attento, tum a partium ſtudio alieno, conſiderant, ſtatim animaduertunt.

Iſtud ergo quod in nos vibrat, quum nos minime feriat, telum; facili negotio labore, conſilium aliquod, qua ratione id euitare queamus, nobis ſuppeditandi, ſuperſedere potuiſſet, quod & nemo vmquam

ab eo expetiit, aut expeturus est, nisi & ingenii demonstrare foecunditatem, & maximo simul nos sibi obstringere beneficio, consultum duxisset. Si quaeras, quodnam demum istud consilium sit? res omnis eo redit, verba Augustanae confessionis: *cruciabuntur sine fine*, improprie esse intelligenda, ne doctrinae de restitutione vniuersali obstent. Perinde scilicet hoc est, ac si dicas, ita interpretanda esse haecce verba, vt sensus inde resultet, qui numquam Augustanae confessionis conditoribus in mentem venit, immo qui menti & sententiae illorum e diametro aduersatur. Certissime constat, hoc eos voluisse, poenas atque cruciatus damnatorum numquam esse finiendos: auctorem autem si sequamur, verba illorum ita interpretanda sunt, vt sensus inde proueniat, poenas & cruciatus damnatorum esse finiendos. Noua haec satisque lepida est interpretandi ratio, qua auctorem, prout nobis placet, aliquid adfirmare cogimus, quod reuera negat, & negare, quod adfirmat. Exempla, quibus euincere voluit, istum, quem sequitur, interpretandi Augustanam confessionem, modum, alias quoque theologis nostratibus

ſtratibus frequentatum fuiſſe, nihil prorſus ad rem faciunt; quum in iis de eiusmodi quaeſtionibus agatur, in quibus cuncta ad diuerſam vocum acceptionem redeunt; quod de reſtitutione vniuerſali, quam auctor defendere conatur, adſeri nequit.

Dum autem omnia, quae poteſt, anxie conquirit, vt repagulum, quod Auguſtana confeſſio ſententiae eius ponit, remoueat aut perrumpat; eo tandem ſe recipit, vt verba latina, *cruciabuntur ſine fine*, germanicis, quibus aeternitas iſtarum poenarum indicatur, non prorſus reſpondere, contendat. Dudum enim hiſce hominibus in more poſitum eſt, quum de poenis damnatorum ſermo eſt, aeternitatem quamdam, quae finem habitura ſit, comminiſci. Prouocatque hac in re ad reſponſum aliquod, a noſtro pariter ac iureconſultorum in hac academia ordine datum, in quo luculenter docetur, germanicum equidem Auguſtanae confeſſionis exemplum, Carolo v. imperatori exhibitum, authenticum illud eſſe, ad quod recurrendum ſit, ſi dubium aliquod exoriatur; eiusmodi autem poenarum infernalium ibi adſeri aeternitatem, quae rectiſſime in verſione latina

per verba: *cruciabuntur sine fine* exprimatur; frustraque adeo, & sine vlla ratione, hic discrimen aliquod inter exemplum germanicum atque latinum quaeri. Opposita enim ista verba esse Ioanni Denckio atque Ludouico Hetzero, ex anabaptistarum grege hominibus, qui itidem vniuersalem aliquam ἀποκατάστασιν docebant; vt adeo nullo modo dubitari queat, quin vox germanica, quae aeternitatem denotat, durationem significet fine destitutam. Vnde manifestum est, ex eo, quod fatemur, exemplum germanicum Augustanae confessionis authenticum esse, (quod & apud omnes positum est extra controuersiam) nullum prorsus praesidium caussae auctoris accedere; quod & ipse tandem agnoscit, licet initio aliud quid prae se ferre videatur.

Interim tamen viam quamdam, hinc elabendi, se inuenisse putat, & istam quidem eiusmodi, quae non temere alicui, nisi ipsi, in mentem venisset. Ex singulari namque spiritus sancti directione contigisse putat, vt auctores Augustanae confessionis, etiamsi mediata inspiratione diuina gauisi sint, eiusmodi, praeter mentem atque intentio-

tentionem suam, adhibuerint vocem, quae aeternitatem equidem, at neutiquam durationem fine destitutam significet. Vbi obseruari velim, fateri auctorem, conditores Augustanae confessionis durationem fine carentem intellexisse, eamque voce germanica, quae aeternitatem denotat, exprimere voluisse; concedere etiam, eosdem ex inspiratione, quam vocant, mediata, hancce confessionem litteris consignasse; & nihilo secius ex singulari spiritus sancti directione vocem adhibuisse, quae ipsorum menti atque sententiae prorsus repugnaret. Itane vero? scribere aliquis ex mediata inspiratione potest, & tamen aliquid adferere, quod a mente spiritus sancti alienum, ita vt idem ille spiritus aliam vocem, menti auctoris contrariam, illi suppeditet? Valde dubito, an auctor ipse, quid sibi voluerit, eo tempore, quo ista scripsit, sciuerit; aut an componere haec inter se atque conciliare queat. Qui adserunt, auctores librorum symbolicorum ex mediata, quam vocant, inspiratione scripsisse; hoc ipso adfirmant, nihil eos scripsisse, quod non exacte cum sacris litteris consentiat. Si ergo nihilo secius spiritus sanctus vocem illis

suppe-

ſuppeditauit, menti eorum atque ſententiae non reſpondentem; ſequitur ſpiritum ſanctum illis aliquid ſuppeditaſſe, quod cum ſcriptura ſacra non conuenit; adeoque eumdem illum ſpiritum interdum aliquid adfirmare, interdum negare, hoc eſt, pugnantia ſecum proferre. Quod eiusmodi eſt, vt, an aliquid abſonum magis, aut a ratione omni alienum, adſeri queat, valde dubitem.

Si dicas, auctorem eam ſententiam, quam Auguſtanae confeſſionis conditorum fuiſſe, concedit, ceu falſam, ac cum ſcriptura ſacra parum conuenientem, reiicere, adeoque inde colligi non poſſe, ab vno eodemque ſpiritu ſancto pugnantia ſecum profecta eſſe: quaerere lubet: cur ergo iisdem Auguſtanae confeſſionis conditoribus θεοπνευστίαν tribuit? Si regeras, non ex ſua, ſed ex theologorum noſtrorum eum hoc feciſſe mente; verba eius clariſſima, quibus non ſemel hoc facit, obſtabunt, quae ita comparata ſunt, vt eum ſerio hoc non feciſſe, vix quisquam inde colligere queat. Immo quum diſerte ſpiritui ſancto ſingularem quamdam circa Auguſtanam confeſſionem dire-

directionem vindicet, ex qua factum, vt in exemplo germanico vox aeternitatem significans, adhibita fuerit; non potest in re ipsa inspirationem mediatam iis denegare, dum scilicet anabaptistarum errorem damnando aperte indicarunt, se aeternitatis voce durationem infinitam intelligere. Vnde & diserte dicit, *spiritum sanctum stante mediata inspiratione potuisse & voluisse concedere, vt damnato anabaptistarum errore, dogma de poenis damnatorum numquam finiendis, stabiliretur, & nihilosecius eumdem spiritum sanctum per inspirationem suam effecisse, vt vox germanica adhiberetur, quae aeternitatem, non autem durationem infinitam significet.* In quamcumque itaque sese vertat partem auctor, non potest non fateri, vnum eumdemque spiritum sanctum, vno eodemque tempore & adprobasse hocce dogma de poenis damnatorum numquam finiendis, & improbasse. Quodsi etiam vel maxime Augustanae confessionis conditoribus θεοπνευστίαν mediatam serio non tribuat; quum tamen longe certissimum sit, quod de poenis damnatorum numquam finiendis docuerunt, cum

scriptura sacra consentire; eodem nihilosecius vrgebitur incommodo. Namque & tum spiritum sanctum singulari directione id efficientem, vt auctores Augustanae confessionis vel inuiti ita loquerentur, prout ἀποκαταστάσεως vniuersalis ratio hoc postulare videbatur, eidem spiritui sancto hancce doctrinam in scriptura sacra improbanti opponet. Quantumuis enim non concedat, suam de restitutione vniuersali doctrinam scripturae sacrae repugnare: clarissimae tamen hoc ipso certissimaeque reluctatur veritati.

Ceterum auctori in responso nostro & hoc displicet, quod diximus, posse mortales hacce de restitutione vniuersali doctrina facile ad securitatem carnalem, ad quam ceteroquin satis proni sunt, abuti. Hinc primum regerit, ex effectu doctrinae veritatem non esse aestimandam; tum vero per hancce sententiam homines potius ad veram seriamque mentis mutationem ac emendationem excitari posse contendit, tantum abest, vt noxia censeri debeat, aut ad securitatem carnalem eos adducat. Sed prius quidem parum ad rem facit, quum nobis in mentem non venerit,

venerit, ex abusu, doctrinae istius falsitatem probare. Experientia vtique quotidiana docet, dogmata saluberrima certissimaque, praesertim si non recte aut proponantur, aut capiantur, huic incommodo obnoxia esse, vt miseri mortales iisdem ad perniciem suam abutantur. Quod quo saepius contingit, eo diligentius ecclesiae doctores id agere debent, vt abusum istum demonstrent, hominesque ne in praecipitia ruant, quin potius vt caute incedant atque circumspecte, commonefaciant. Falsa autem & erronea si fuerint dogmata, vtique eo magis noxia censenda sunt, quo facilius per ea homines ad securitatem carnalem adducuntur. Atque tum si ecclesiae doctores non tantum solide ista refellant, sed & quantum omnibus periculum adferant, ostendant, quis quaeso eos reprehendendos existimet? aut annon potius agunt, quod officii eorum ratio iubet, postulatque? Quod autem auctor adserit, istam de restitutione vniuersali doctrinam adeo homines ad securitatem carnalem non adducere, vt eosdem potius ad mentem serio mutandam corrigendamque excitet, eiusmodi est, vt illis, quibus

mortalium indoles perſpecta eſt ac explorata, quiue ad ea, quae omnium oculis quotidie ſe offerunt diligenter attendunt, numquam iſtud ſit perſuaſurus; vt adeo multa hac de re facere verba neceſſe non ſit. Atque haec ſunt, quae monere conſultum duxi, quaeue & ipſa veritatis mihi imperauit ratio; vnde & ab auctore, ſi ſerio veritatem quaerit, ea mihi vitio verti non poſſe, confido. TIBI autem, praeſtantiſsime MOELLERE, ob egregium hocce eruditionis ac diligentiae ſpecimen gratulor, proſperosque porro ſtudiorum Tuorum adprecor ſucceſſus, vt plurima inde aliquando eccleſia percipiat commoda.

Scribebam Ienae Kal. Maii
MDCCXXVIII.

* * * * * * * *

Q. D. B. V.



Q. D. B. V.

PRAEFATIO.

QVam inimica veteri eccleſiae fuerit doctrina, de poenis damnatorum tandem aliquando finiendis, quam infelici ſidere Origenes propugnauit, non minus ex ſcriptis patrum praeſtantiſſimorum, Athanaſii, Hieronymi, Auguſtini, aliorum, quam ex conciliorum ampliſſimorum decretis, demonſtrari poteſt. Vel Conſtantinopolitanae ſynodi, anno quingenteſimo quinquaſimo tertio coactae, & nomine quintae oecumenicae ſuperbientis, decreto idem condocemur. Quodſi enim NICEPHORO* fides eſt habenda, ita hac de re conſtituit: *ſi quis dicit aut ſentit, temporanea eſſe daemonum & impiorum hominum tormenta, finemque ea tempore aliquo habitura, ſiue reſtitutionem daemonum aut impiorum hominum futuram, anathema ſit. Anathema ſit Origeni, qui & Adamantius dictus eſt, & haec promulgauit, vna cum deteſtandis eius & exſecrandis dogmatibus, & homini omni, qui haec ſentit, aut aſſerit, aut aliqua ex parte quocumque prorſus tempore ea defendere audeat: in Chriſto Ieſu domino noſtro, cui gloria in ſaecula ſaeculorum. Amen.* Ea tamen non potuerunt impedire, quo minus tempore LVTHERI, cum noua tam humaniorum quam diuiniorum litterarum lux exoriretur, quidam ex anabaptiſtis cum aliis erroribus,

* *hiſtor. eccleſ. lib. XVII. cap. XXVIII.*

bus, & hanc Origenis arriperent sententiam. Quam etsi nostrates, veritatis amantissimi, in *Augustana confessione*, & improbandam, & damnandam iudicarunt; * eam tamen sub finem superioris saeculi & reuocare, & ornare, & tueri, suarum duxit esse partium IO. GVILIELMVS PETERSENIVS; non paucos exinde nactus sectatores. Cumprimis LVDOVICVS GERHARD, homo nec ingenio, nec doctrina destitutus, id sibi datum esse credidit, vt hanc opinionem persuaderet hominibus; edito non ita pridem, anno nimirum superiori, magno quodam opere, *systema ἀποκαταστάσεως, das ist, vollstaendiger Lehr-Begriff des ewigen Euangelii von der Wiederbringung aller Dinge, samt der vngegründeten gegenseitigen Lehre von der vnendlichen Verdamnis*, inscripto. Quo in libro nihil praetermisit, quod opinioni huic inseruiret; omnia conuectans argumenta, quae patroni huius caussae pepererunt: quamquam ea alio habitu vt plurimum induat, vt noua videantur imprudentibus. Cum ergo sit periculum, ne multis hoc *systema* imponat: in eius praecipuis argumentis diligentius discutiendis laborem non inutilem me consumturum putaui; vt relicturus Ienam patriae meorum studiorum rationem reddam, cuius calamitates omnium maximae variis motibus, occasione huius libri excitatis, augeri plurimum videntur. Neque tamen qualicumque nostra opera in toto hocce opere refutando abuti constituimus; cum temporis non minus quam studiorum limites angusti aliud suaderent: sed, perlustratis tantum tertio quartoque capitibus, ipso Gerhardo id potissimum postulante, veram de poenis impiorum aeternum duraturis ex sacris litteris adstruximus doctrinam. Ad tria vero praecipue momenta nostram reuocauimus tractationem. Primum enim ex oraculo diuino, Esaiae

LXVI,

* *artic. XVII.*

LXVI, 24. veritatem de poenis damnatorum numquam finiendis, GERHARDVM hic tergiuersantem insequentes, demonstrandam; deinde ex aliis sacrarum litterarum locis eamdem confirmandam; denique contra praecipua Gerhardi argumenta defendendam nobis sumsimus. Quem nostrum conatum vt Deus suo fauore iuuet, & in honorem suum cedere iubeat, infimis ab eo precibus contendimus.

SECTIO PRIMA EXEGETICA.

§. I.

QVod *Esaiae LXVI*, 24. exstat dictum, כי תולעתם לא תמות ואשם לא תכבה והיו דראון לכל-בשר in eo ingenii, quas sentio quam sint exiguae, periclitari vires constituimus. Interpretes septuaginta ita haec vertunt: ὁ γὰρ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτήσει, καὶ τὸ πῦρ αὐτῶν οὐ σβεσθήσεται, καὶ ἔσονται εἰς ὅρασιν πάσῃ σαρκί: SEBASTIANVS SCHMIDIVS: *Quia vermis eorum non morietur, & ignis eorum non exstinguetur, eruntque fastidium omni carni:* LVTHERVS: *Denn ihr Wurm vvird nicht sterben, vnd ihr Feuer vvird nicht verloeschen, vnd vverden allem Fleisch ein Greuel seyn.*

§. II.

Cum instituti nostri nec permittat nec requirat ratio, de Esaiae vaticiniis multa commemorare: id nobis datum merito existimamus, vt dicti nostri superiorem scripturam, quippe ad illius intelligentiam non parum facientem, probe consideremus. Iure autem dictum, quo de agimus, retuleris ad libri Esaiae epilogum, versu potissimum vicesimo secundo

cundo vltimi huius capitis occipientem, cuius ea videtur esse ratio, vt de statu, post hanc vitam pios non minus quam impios manente, singulariter exponat. Nam etsi minime negandum sit, ad nouum quoque testamentum, eiusque praeterperi praerogatiuam, pertinere illa Iouae verba, quae caelos nouos nouamque promittunt terram, *Esa. LI, 16. LXV, 17.* illa tamen ad futura post hanc vitam saecula praecipue spectare, vel ex *II. Pet. III, 13.* & *apoc. XXI, 1.* poterit intelligi. Inde itaque perspicuum est, quanta pios felicitas, quanta maneat impios miseria. Enimuero sicut cruciatibus exquisitissimis, summaque ignominia improbi adficientur: ita pii maxima laetitia, aeternaque abundabunt beatitate. Atque inde conficitur, vt vocula כי, ex initio *v. 22.* posita, omnium optime per *immo*, *quin immo*, vertatur. Quemadmodum enim aliis in locis notionem hancce obtinet: ita re ipsa condocemur, eam hic non melius transferri; cum quae consequuntur non tam caussam verborum superiorum, quam singularem aliquam, eamque multo maiorem, exhibeant promissionem.

§. III.

Quodsi quare ista Deus nos celare minime voluerit, diligentius considerabimus: mirum eius, homines beandi, facile perspiciemus desiderium. Vt enim curam salutis suae prorsus necessariam mortalibus iniiciat; tam promissis illos inuitare, quam reuocare comminationibus, bona non minus quam mala aeternum duratura illis ante oculos ponendo, summa ope nititur. Quae quidem & impios ad mentem saniorem induendam incitare, & pios multis calamitatibus obrutos, certa spe erigere, eosdemque adhortari possunt, vt cum metu & tremore suam salutem agant; *Phil. II, 12.*

§. IV.

§. IV.

Propius iam ad institutum accedemus, versum quartum & vicesimum, in quo de aeternis nocentium poenis egregie exponitur, paullo diligentius consideraturi. Quod vt rite fiat, Deum infimis imploramus precibus, vt nos sua adiuuare velit gratia: cum onus viribus nostris maius subeamus. Verba enim Dei, omnium longe iustissimi, sanctissimi, potentissimique, de re grauissima nos erudientis, perpendere conamur. Qui quidem cum summam piorum felicitatem, qua ipsi non tantum maxima fruerentur & tranquillitate & laetitia, sed & inimicos misere adflictos intuerentur, descripsisset; decreti sui, vt nec vermis damnatorum moriatur, nec ignis exstinguatur, & omnium ludibrio aeternum exponantur, adiungit rationem. Hic igitur videre est, quas Deus de hominibus, qui ecclesiam vexant, *v. 5.* idola venerantur, *v. 17.* diuinam adspernantur gratiam, *v. 19.* ore solum, non corde, pietatem colunt, *v. 3.* vel aliis peccatis se obstringunt, poenas tandem sit sumturus. Hoc ergo dictum cum omnia, quae ratio peruersa contra veritatem nectit, dubia soluat: voces eius singulas expendere, operae existimamus esse pretium.

§. V.

Tribus autem membris hocce de impiorum poenis decretum absoluitur; quorum primum est: תולעתם לא תמות *vermis eorum non morietur. Subiectum* תולעת, *vermis* cum auctum sit *suffixo* ם, *eorum:* ad vocem superiorem פשעים *praeuaricatores*, respicere nos iubet. Cuius radice פשע nihil aliud, quam iniustam ab eo, qui aliis suo iure dominatur, defectionem denotari, exemplis nimirum condocemur. Sic Israelitae a Dauidis stirpe *I. reg. XII, 19.* Moabitae ab Israelitis *II. reg. I. 1. seq.* dicuntur defeciſſe.

feciſſe. Ex quo conficitur, vt omnes, qui, Deo iuſto domino relicto, fidem fefellerunt, hic intelligantur. Homines itaque pariter atque angeli maligni hunc in cenſum veniunt: illi, quod peruerſo ſui amore capti, atque a Deo alieni, huius tum legibus illudunt, tum voluntati de ſua ſalute reluctantur: hi, quod ſua ſorte minus contenti, ductumque ſui principis, quod ex *Luc. XI, 15. 18. apoc. XI, 7.* colligimus, caeco impetu ſequuti, ſuis in veritate ſedibus relictis, *Ioan. VIII, 44.* maioribusque, quam ipſis licebat, rebus adpetitis, ipſi non tantum defecerunt, ſed & ad eamdem homines amentiam perpulerunt.

§. VI.

Equidem vox אנשים, voci פשעים adiecta, huic ſententiae, quae nec angelos hic eximit, videtur aduerſari. Praeterquam vero, quod vox ἰσοδυνάμη אש (quae amat in numero multitudinis adſcitum אנשים, vnde & a regula cenſetur aberrare) omni ſuppoſito tam inanimo, quam animato, competit; *Exod. XXV, 20. Eſa. XL, 26.* ipſum אנשים *Gen. XVIII, 2. 16.* angelis tribuitur. Vt igitur hac ratione nullo negotio nodus hicce ſoluitur: ita multo facilius illis occurri poterit, qui vocem פגורים in malos genios quadrare, auſi fuerint inficiari. Cum enim ea non tam de cadaueribus, vita, ſenſu, ratione deſtitutis, quam de eiusmodi ſuppoſitis, quae, vita ſpirituali orba, atque aeternae morti addicta, omnes omnino ſancti tamquam cadauera abominantur, *Matth. XXV, 41. XXII, 13.* ſit intelligenda: nihil plane obſtat, quo minus & mali angeli illa deſignentur.

§. VII.

Pergimus ad vocem תולעת quae proprie non minus quam translate in ſcriptura ſacra vſurpatur. Proprie omnem vermem vel mordentem vel rodentem indicat; quod quidem

dem ex *Ion. IV, 7. cet.* patet. Originis ratione habita ſpeciatim vermem rubicundum, cuius in coccineo colore inducendo vſus eſt, denotare ſolet: vnde & pro ipſo coccineo colore per metonymiam adhibetur, *Exod. XXXIX, 8.* Tum vero transfertur ad res vilisſimas abiectisſimasque, a quibus nemo non abhorret, easque auerſatur. Ita ſeruator optimus, miſeram ſui conditionem, qua conſtitutus infra ſortem omnium mortalium, abominandus ſuis inimicis videbatur, nobis oſtenſurus, vermem ſe adpellare nullus dubitauit: vbi tamen haud dubie, quod alii monere ſolent, ad colorem ſimul rubicundum, per deſudatum ſanguinem obortum, reſpiciendum eſt; conf. *Eſa. XLI, 14.* Denique de cruciatibus, mentis praeſertim male ſibi conſciae, ſumi haecce vox conſueuit. Quemadmodum enim vermis cadauera mordet, rodit, corrumpit, conſumit: ita hominem vrget, pungit, torquet, cruciat, mala conſcientia. Quae vltima vocis notio locum hic obtinet, vbi de grauisſimis damnatorum poenis, quorum animus exquiſitisſimis doloribus conficitur, ſermo inſtituitur.

§. VIII.

HVGO quidem GROTIVS, vir certe magni nominis, ſuo, vt ſolet, ingenio ita hic indulget, vt ſenſui, quem littera fundit, nullus dubitet ſubſcribere. *Vermis*, inquit, *eorum non morietur, id eſt, diu vermis paſcetur illorum cadaueribus, quia ſepultura indigni iudicabuntur.* Enimuero cum eius menti Maccabaeae res adhuc obuerſarentur; eam in Antiocho addictos arbitrabatur poenam conſtitutam, vt horum cadauera, indigna, quae ſepelirentur, ad eſcam vermium abiicerentur. Finge vero, haec ita fore; num tanta haec dicenda erit poena? Nonne eadem tam pios quam impios ſors manet, vt vermes eorum cadauere veſcantur? *Iob. XVII, 14. Sirac. X, 13.* Diutius, inquis, paſcentur

tur vermes corporibus insepultis, quam terrae mandatis. An vero haec maior poena iudicanda est; cum vita destituti nullos inde sentiant dolores? Neque tamen id concesserо, diutius insepulta depasci corpora; cum partim volucres, partim bestiae cibum inde capiant, eaque citius consumant, quam cadauera sepulta. Accedit, quod aliud sit *diu pasci*, aliud, *non mori*. Non dicitur hic: diu vermis pascetur, sed, numquam morietur. Rem denique omnem conficit optimus seruator, haecce verba non semel vsurpans, ac de infernali poena explicans *Marc. IX, 44. 46. 48.* Cum enim *v. 43.* Gehennam commemorasset; magno verborum pondere, hunc ipsum esse locum, cuius a vate Esaia mentio iniiciatur, vbi vermis eorum numquam moriatur, innuit. Quae quidem ita sunt in promtu, vt nec ipse GROTIVS iis aduersari audeat. Postquam enim ad explicandum huncce Marci locum peruenit; diffiteri nequit: „ipsam verborum „proprietatem mire inseruire describendis perpetuis suppli„ciis, & magis proprie haec conuenire aeternis suppliciis. „Nam illud ὃ πλευτᾷ, & ὃ σβέννυται in Hierosolymitano „excidio habere suum sensum, sed ratione materiae restri„ctum & limitatum: in poenis tamen vitae alterius κατὰ „τὸ κυρωλογέμενον; quin & hancce in ecclesia iudaica tritam „fuisse sententiam.„ Quo nomine censuram satis iustam subit ABRAHAMI CALOVII.* Filo itaque orationis non minus, quam interpretatione Christi adducimur, vt vermem non insectum aliquod, diu cadauera arrosurum, sed cruciatus mentis male conscіae aeternum duraturos, interpretemur. Optime GREGORIVS Nyssenus:** *si vermem*, inquit, *audieris, non propterea, quod sit idem nomen,*

* *bibl. illustrat.* ad *h. l. Esaiae.*
** *orat. catech. cap. XXXX.*

men, ad terreſtre hoc animal tua feratur cogitatio. Adiectio enim eius, quod non moriatur, ſuggerit, aliam intelligendam eſſe naturam, quam eam, quae cognoſcitur.

§. IX.

Quemadmodum autem cadauera, quae cibum praebent vermibus, corruptionem patiuntur: ita ſtatus ille, vbi damnati iſtis, quos ante diximus, cruciantur morſibus, non ſemel a ſacris ſcriptoribus, obſeruante VITRINGA,* Φθορὰ, *corruptio* vocatur. Quo in ſtatu tam *priuatiuis*, quam *poſitiuis*, poenis adficientur. Vita nimirum diuina, &, quae ex ea conſequuntur, bonis omnibus carebunt, & cognitione Dei intuitiua, & dulciſſimo amore, & ineffabili laetitia plane deſtituti. Sentient contra conſcientiae ſauciatae morſus acerbiſſimos; triplici cumprimis ratione cruciandi. Quodſi enim Deum cogitauerint; fieri nequit, quin & dolore & tremore exanimentur. Nam quid acerbius, quam quod aeternis conſepulti tenebris, ſalutari iuxta atque beatiſſima cognitione Dei, qua potuiſſent imbui, niſi mens laeua fuiſſet, aeternum orbi degant? Quid vero triſtius, quam quod acerrimum grauiſſimumque ſuorum eum eſſe ſciant peccatorum vindicem? Nec minus inuidia ringentur, ſi beatorum, tanta & gloria praeditorum, & laetitia exultantium, mentes eorum ſubierit recordatio; *pſal. CXII, 11. Sap. V, 5.* Ad ſocios porro miſeriarum attendentes animum, quibus vel magiſtris, vel ſociis, vel diſcipulis nequitiae vſi fuerint, haud dubie vehementer perturbabuntur. Nihil tandem doloris illis deerit, ſi ad ſe ipſi conuertant cogitationes. Ipſos enim ſibi omnia importaſſe mala, poſthabita exuberanti Dei gratia, nullo nomine inficiari poterunt. Peccatorum denique acerbiſſimam memoriam cum nulla poſ-

* in *commentar.* in *Eſaiam* ad *h. l.*

sint obliuione delere; nec ipsis reparare liceat tantae gloriae iacturam: incredibiliter animi discruciabuntur. Qua de re egregie AMBROSIVS, *vt multae*, inquit, *ex cruditate febres nascuntur, & vermes, quando quis cibum intemperanter sumit: ita si quis peccata peccatis cumulet, nec decoqueat ea poenitentia, sed misceat peccata peccatis, cruditatem contrahit veterum & recentiorum delictorum, indeque igne, quasi febre aduretur proprio, & vermibus consumetur, id est, torquebitur & cruciabitur vsque ad consummationem & mortem, ita tamen, vt numquam sit consumtus & mortuus.* *

§. X.

Quemadmodum quae de verme, triplici potissimum ratione impios aeternum vexante, hactenus commemorauimus, sua se tuentur veritate: ita sua sponte corruunt, quae romanensium nonnulli ** de nescio quo verme proprie sic dicto mordacissimo foedissimoque, aeternis poenis addictos semper arrosuro, nugari non verentur. Non minus enim haec inepta iudicanda sunt, quam fictae poëtarum gentilium de Tityi vulture fabulae. *** Itaque nec excutiemus, qui factum fuerit, vt in istas cogitationes ethnici deuenirent; nec refutabimus, quae sua se futilitate produnt, nugas romanensium. *

§. XI.

De praedicato potius לא תמות adcuratius dispicere nostrarum existimamus esse partium. Vbi quidem planum arbitramur, vocula illa לא, non male per *numquam*

* *Lib. VII. in Luc. cap. XIV.*

** CORNELIVS A LAPIDE in *commentario sup. Es.* & SERARIVS *cap. XVI. Iudith. quaest. II.*

*** HOMERVS *odyss. II.* VIRGILIVS *Aeneid. VI. v. 590.*

* Conf. SCHERZER *system. l. XXIV. §. 10. p. 757.*

quam transferenda, cum ad futurum tempus referatur, rem plane negari. Vox autem מוֹת vel proprie significat, *priuari vita*, aut spirituali, aut sensuali; *Gen. II, 17.* vel de *interitu* aut *fine* alicuius rei translate vsurpatur; *I. Sam. XXV, 37.* & vltimam quidem hic notionem obtinet. Quod autem hic in tempore futuro adhibetur; id iustam Numinis, de impiis sententiam pronuntiantis, declarat voluntatem; & in modo imperandi *numquam moritor*, recte vertitur.* Cum itaque apertis verbis Deus nos condoceat, numquam morituram esse damnatorum vermem: inde id certissime conficitur, vt damnatorum poena omni fine careat.

§. XII.

Quae quo magis sunt in promtu; eo minus ferendum est, a M. LVDOVICO GERHARDO, in *systemate*, quod vocat, *apocatastaseos*, tam male ea detorqueri.** Quocirca, eius sententiam discutiendo, operae facturi nobis pretium videmur. Concedit GERHARDVS, mortem non male priuationem vitae dici, eamque vocis mori principem esse significationem. §. *248.* Largitur idem, mori, voce translata, idem esse, atque deficere, consumi, finiri. §. *249.* Idem tamen ille verba haecce: *vermis illorum ne moritor*, poenas numquam finiendas euincere, negat. Quo iure? Aliam quamdam superiori adiungit significationem formalem, & *non mori* idem esse, atque ordine non interrupto, sed continuo viuere, acriter contendit. §. *259.* Saepe *non moritura* dici, quae tamen finis nequaquam sint expertia, existimat. Ita neminem dubitare, quin mundus recte dicatur numquam mori; quem tamen finis procul dubio maneat. §. *247-258.* Plana etiam esse verba *apoc. IX, 6. illa tempestate quaerent homi-*

* Conf. IO. ANDR. DANZII *interpr.* §. 52. III. §. 53. II.
** §. 234. *seq.*

nes mortem, nec inuenient, cupientque mori, & eos fugiet mors. Istis tamen hominibus vitam infinitam nequaquam oportere tribui. §. *266.* Denique & Mosen precari: *viuat Ruben & non moriatur.* Sed tamen hanc iam dudum desiisse tribum. §. *268.* Aliud itaque esse: *non mori*, aliud *sine fine manere.* Probandum ergo prius esse, putat, vocem *non mori* hic idem sibi velle, atque *numquam finiri*, priusquam exinde velimus infinitas poenas conficere. §. *259.* Id vero ex alio demum loco fieri debere; nisi id nobis dari, de quo adhuc quaeratur, petere velimus. §. *270.* Id enim tantum ex his constare verbis, nullum in verme principium destructionis esse, quo exsistentia priuari possit: itaque illum non posse non, dum Deus viuat, rodere; nisi eumdem Deus aliquando cohibeat. §. *272. p. 244.*

§. XIII.

At fallitur magnopere GERHARDVS. Primum in eo peccat, quod primam principemque vocis *mori* significationem sine caussa deserit. Quis sanae mentis negauerit, idem plane esse, *mori*, & *priuari vita*, siue *finiri; non mori*, & *non priuari vita*, siue *non finiri?* Quis vero principem siue formalem hanc esse vocum istarum notionem iuerit inficias; nisi qui, lites sine caussa serere, constitutum habeat? Quare ergo, relicta hac significatione, aliam nobis obtrudere conatur? Non bene, inquit, isti notioni cum apocatastasi conuenit. Ergone verborum, quam tanto ceteroquin iactat opere GERHARDVS, deserenda est significatio formalis? Scilicet eam, hypothesi suae inseruientem, GERHARDVS probat; reiicit contra, quoties ipsi aduersatur. *Non mori*, inquit, hic non tam significat, vita non priuari vel finiri, sed viuere continuo nec interrupto ordine. Quae vero praegnans adfertur ratio, cur formalem primamque relin-

relinquat significationem? Nulla sane, nisi sententia de apocatastasi; de qua tamen adhuc quaeritur.

§. XIV.

Mundus, inquit, licet finiendus, tamen dici potest non mori. Vbi vero in sacris litteris illa verba inueneris: *mundus non moritur?* Mihi vero, inquit, ita loqui placet. Placeat: quid tum? Mundus, qui non moritur, finitur: cur non vermis? Dicam, quod res est. Falsum est, mundum non mori, si in formali significatione vocem mori vsurpaueris. Sacrae enim litterae docent, eius omnino finem fore. *Psal. CII, 27. Matth. XXIV, 35.* nec ipse hoc GERHARDVS diffitetur. Mori autem primario significat, priuari vita, item deficere, consumi, finiri. Itaque longissime distant verba Dei optimi maximi: *vermis eorum numquam moritor*, a GERHARDI commento: *mundus non moritur.* Nefas sane est, diuini oraculi sensum, ex praeconceptis suis opinionibus metiri, & illud pro ingenii petulantia peruertere.

§. XV.

Parum etiam GERHARDVM iuuabunt verba illa *apoc. IX, 6. illa tempestate quaerent homines mortem, nec inuenient, cupientque mori, & eos fugiet mors.* Quid enim iis aliud innuitur, nisi impios frustra mortem quaesituros? Idem tamen, inquit, est, ac si eos non morituros dicas. Recte. Quando vero non morientur? Cum quaerent mortem cupientque mori. Non itaque absolute negatur, eos morituros, sed tum, cum mori voluerint ipsi. Eademne ratione Deus vermem non moriturum adseuerat? Faciunt nae! homines intelligendo, vt nihil intelligant.

§. XVI.

Preces denique Mosis *Deut. XXXIII, 6.* GERHARDI sententiam labefactant potius, tantum abest, vt confirment.

Optat enim Moſes, vt tum in hac ſuperſtites, tum in futura vita felices eſſent Rubenitae; ideoque dicit: *viuat Ruben, nec moriatur.* At periit, inquit GERHARDVS, Rubenis tribus, nec vsquam exſtat gentium. Verba igitur *non moriatur* finem non excludunt. Finge vero, periiſſe tribum iſtam: an ex eo conſequitur, Moſen in votis habere non potuiſſe, vt numquam periret? Eſto etiam, Moſen tempus infinitum verbis hiſce, *viuat Ruben nec moriatur*, non innuiſſe: num inde conficitur, vt nec in oraculo, quo de agimus, diuino, verbis: *numquam moritor*, tempus finis expers intelligendum ſit? Nonne prius rationem adferri grauiſſimam oportet, quare, genuina vocis mori notione relicta, amplectamur aliam. Vrget, inquis, grauiſſima ratio. Quae? Sententia de apocataſtaſi. Ridicule. De ea enim adhuc diſceptatur. Sed in re clariſſima nolo opera amplius abuti.

§. XVII.

Iam nemini obſcurum eſſe poteſt, quo iure nos GERHARDVS petitionis principii inſimulare queat. Quid enim verbis hiſce, quibus Ioua vermem damnatorum mori & vetat, & negat, euidentius? Nonne audito hocce Iouae oraculo: *vermis eorum ne moritor*, cuiusuis mentem illa ſubit cogitatio, poenas eorum numquam finiendas eſſe. Hac vero prima ſi ſtamus ſignificatione, atque inde veritatem confirmamus: num dari nobis poſtulamus, quod eſt in principio? Cur aliis demum ſcripturae ſacrae locis demonſtremus, vermis numquam finem fore? cum hic diſerte idem Deus doceat. Non deſunt ſane, quibus idem planiſſime conficitur: hoc vero in loco omnium clariſſimo cur caecutire cupit GERHARDVS. Plana verba ſunt: *vermis eorum numquam moritor.* Dum igitur viuit vermis

vermis damnatorum; poenarum finis nullus erit. Numquam autem cum ille moriatur: numquam poenae finientur.

§. XVIII.

Non mori, inquit GERHARDVS, hic vermis dicitur, qui nullo gaudet principio destructionis, quo existentia priuari possit: Deus tamen illum aliquando necare & vult & potest. Primane haec est vocis *mori* significatio? Est vero. Ain? Ergo non moriuntur, qui ab aliis interficiuntur? Non est. Cur tandem relinquis formalem vocis *mori* significationem, qua generatim significat vita priuari, deficere, consumi, finiri? Iubet apocatastasis. Ratio, quam adfers, de ea adhuc quaeritur. Vult tamen, pergis, & potest Deus vermem necare. Vellet Deus? qui hic diserte statuit: *numquam moritor?* Credo veracissimum aliud dicere, aliud in pectore seruare. Absit. Posse Deum omnium potentissimum vermem necare, nemo temere dubitauerit. At vero summa eius & sanctitas & sapientia eius regit absolutam potestatem. Hoc itaque respectu Deus nequaquam, quod sanctitati suae atque sapientiae repugnet, admittere potest.

§. XIX.

Pergimus ad alterum sententiae diuinae membrum אשׁם לא תכבה, & filo orationis, & vinculo particulae ו priori quam arctissime iunctum. *Subiectum* eius אשׁ instructum *suffixo* ם, quo de iam §. V. disseruimus, varias in sacris litteris sortitur notiones. Etenim cum proprie elementum ignis denotat; cuius mirabilem virtutem non tantum physici praedicant, sed & radix אשׁשׁ *robustus fuit* conficit; tum ad varia non inepte transfertur ob similitudinem. Vel enim ipsi Deo, eiusdemque irae *Deut. IV, 24. IX, 3.* vel etiam angelis, *psal. CIV, 4. II. reg. II, 11. VI, 17.* vel calamitatibus

tatibus & tentationibus, *psal. LXVI, 12. Es. LXIII, 2.* vel denique iis rebus, quae damnum important, vt bello *psal. LXXVIII, 63.* tribui solet: vt pluribus ostendit FLACIVS.*

§. XX.

Quodsi iam quaeramus, vtrum proprie, an translate vox *ignis* hic accipienda sit? HVGO quidem GROTIVS, Maccabaeis rebus menti eius adhuc obuersantibus, prius anteponit, *signa ignis*, in incensis oppidis eorum, qui ab Antiocho stetissent, hic commemorans. Cum vero non tam vrbes, quam impii, igne aeternum puniendi adserantur; & Christus haecce verba de poenis damnatorum, quod supra iam ostendimus, intelligenda innuat: nullum, puto, punctum latura esse GROTII commenta. Non magis probanda est illorum sententia, qui, cum de impiorum poenis aeternum duraturis verba haec interpretentur, ignem intelligunt, rerum principium constituentem. Neque enim, durante elemento ignis, tenebris aeternis, quibus punientur improbi, *Matth. XXII, 13.* locus esse potest; nec genii maligni, eodem igne, *Matth. XXV, 41.* excruciandi, dolores inde vllos senserint. Quid? quod pereuntibus elementis omnibus *II. Pet. II, 10.* ignis nequeat manere? Nec tamen euidentissima sacrarum litterarum loca nos vlla ratione dubitare sinunt, ignem quemdam proprie sic dictum, illum quidem minus nobis cognitum atque perspectum, exquisitissimos tamen tam hominibus, quam angelis damnatis, dolores importantem, hic intelligendum esse. Noli itaque putare, aestu tantum mentis, & male sibi conscíae, & foedissimis cupiditatibus flagrantis, ignem hunc accendi atque ali: siquidem paratus iam a Deo, *Matth. XXV, 41.* extra damnatos exsistat, oportet. Nobis interim, non tam de ignis qualitate

* in *clav. script. sacr. part. I.* voc. *ignis.*

tate quam duratione dispicientibus, probatur maximopere sententia GERHARDI* iuxta atque GLASSII** praestare, „ignem aeternum duraturum deuitare sincera vitae emen-„datione, quam in naturam eius curiosius inquirere. Prae-„stat etiam,*** iustorum inuestigare salutem, quam impio-rum cruciatus.

§. XXI.

Quod attinet ad verba לא תכבה, incisi, quo de agimus, *praecatum*: de voce לא idem, quod supra monuimus, obseruandum, eam, futuro iunctam, absolute negare, & optime per *numquam* verti. Verbum autem כבה per modum patiendi *exstinctus* vertendum videtur: cum Ebraeis non sit insolens, vt *Kal* passiuam obtineat significationem. Cum vero proprie כבה exstinctionem ignis quamlibet, vel ex materia deficiente, vel ex infusa aqua ortam, denotat, *Ierem. XVII, 27. Leu. VI, 12. 13.* tum ad diuinam iram, *Ierem. VII, 20.* itemque ad amorem *cant. VIII, 7.* atque ad infirmam fidem *Es. XLII, 3.* transferri assolet. Hoc loco ignis impiorum numquam exstinguendus dicitur, vtpote qui nec materia destituatur, nec prematur vi externa. Quando autem praemisso לא futurum adhibetur: recte illud verti in modo imperandi, *numquam instinguitor*, supra iam ostendimus. Ex quo seuera Dei voluntas & sententia, de impiis aeternum puniendis, nemini obscura esse potest. Itaque firmissimum inde fluit argumentum, finis expertem esse ignem damnatorum, quippe ex decreto Dei numquam exstinguendum.

* *loc. de infern. §. LXIX.*
** *rhetor. sacr. metaph. de igne.*
*** *lib. IV. Esrae cap. IX. v. 13.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862091616/phys_0047
DFG

§. XXII.

Varia quidem GERHARDVS comminiſcitur, ad labefactandum hocce argumentum comparata: quamquam, ſi dicendum, quod res eſt, verbis magis quam rationibus abundet. Magno nimirum ingenii conatu euincere nititur, hocce oraculo diuino id tantum innui, per ſe quidem numquam exſtinctum, diuina tamen quadam vi preſſum haud dubie iri, ignem damnatorum. §. 237.-244. Qua in re non ſatis videtur perpendiſſe, voce כבוי exſtinctionem ignis, tam a cauſſa externa, quam a materiae defectu, ortam, ſignificari; vt vernacula lingua non magis verti debeat: *das Feuer iſt ausgegangen*, quam *das Feuer iſt ausgethan worden.* Vtraque exſtinctionis ratio in diuino hocce oraculo proſcribitur: cum abſolute dicatur: *ignis illorum ne exſtinguitor.* Hic negat GERHARDVS, ignis damnatorum eam eſſe conditionem, vt vi diuina numquam exſtinguatur. Fore enim arbitratur, vt peccata damnatorum, quae igni orci praebeant materiam, aboleantur, & igni a Deo finis ſtatuatur. Cum vero hoc pacto ſenſum, quem verba illa: *numquam exſtinguitor*, fundunt, primarium poſthabeat: rationes grauiſſimas adferat oportet, quare hoc ſibi ſumat. Quemadmodum autem nihil, niſi ſententiam ſuam de apocataſtaſi, de qua adhuc diſquiritur, in medium proferre poteſt: ita nemo nobis vitio verterit, ſi verbis Dei planiſſimis ſtare, nec latum vnguem ab iis recedere velimus. Quis enim putet, Deum, damnatorum ignem exſtinctum iri negantem, non minus nobis imponere voluiſſe, quam iudicem, qui aliquem ex vinculis publicis proditurum negat, quem tamen ipſe olim ſoluere conſtituerit? Et nonne ipſe Chriſtus, itemque ſeptuaginta interpretes, verbum כבוי per σβέννυσθαι exponendo, *Marc. IX, 44.* ſatis confirmant, nec

nec per se, nec per aliam causſam finitum iri ignem impiorum?

§. XXIII.

Sed nec dictum *Leu. VI, 12.* quod tanto vrget opere GERHARDVS, noſtram de aeternis impiorum poenis euertet ſententiam. Quando enim Deus ignem in ara perpetuo ſeruari, nec vmquam exſtingui iubet; hoc ipſo corda ſuorum perpetuo amore flagrare oportere innuens: ita hoc fieri volebat, vt tamen, hominibus, libertate voluntatis praeditis, coeco impetu in contrarium ruentibus, idem interire poſſet. Cum vero Deus conſtituit, vt damnatorum ignis numquam exſtinguatur: ita hoc vult, vt nullum nec angelorum nec hominum arbitrio relinquat locum. Quantum itaque inter Dei abſolutam, quam dicunt, & conditionatam voluntatem intereſt: tantum etiam inter dictum, quo de agimus, & illud, quod *Leu. VI, 12.* exſtat, diſcrimen intercedit. Itaque ſua ſe tuetur veritate argumentum, expertem eſſe finis illum ignem, quem Deus vmquam exſtingui plane nolit.

§. XXIV.

Tertium decreti, quo de agimus, inciſum והיו דראון לכל בשר, *& erunt exſecrationi omni carni*, cum notatu digniſſima exhibeat, & variis GERHARDI commentis peruertatur, ſingularem meretur conſiderationem. Iisdem illis praeuaricatoribus, quorum nec vermis moritur, nec ignis exſtinguitur, grauiſſimas hic minari poenas Deum omnium iuſtiſſimum, nemini obſcurum eſſe poteſt. Atque haſce poenas diuerſas eſſe tam a verme, quam ab igne, illos aeternum torquente, vel ex eo conſtat, quod illis commemoratis ſigillatim hae ſubiiciantur. Verbum והיו per vocu-

lam ו ex tempore praeterito in futurum vertitur; quo cum vti ſoleant Ebraei in enarrandis praeceptis: והיו non inepte hic per *ſunto* transferetur; ſiquidem futuri, deinde imperatiui, induit naturam. Vox vero דראון etſi ex דר *ſatietas* & ראה *vidit* conflari, & *ſatietatem viſionis* indicare, nonnullis putatur: melius tamen ab arabica radice דרא *repulit* deriuatur, & per *faſtidium*, *nauſeam*, *auerſionem ignominiam*, *exſecrationem* non male exponitur. Haec enim ſignificatio, dicentis ſcopo plane eſt accommodata; cum Deus, damnatorum cadauera commemorans, ea non minus, quam putrida ac foetida animantium cadauera, omnibus abominationi ac horrori fore, hac ratione confirmare velit.

§. XXV.

Erunt vero abominati לכל בשר. De variis vocis בשר ſignificationibus cum FLACIVS * aliique differant, iis referendis ſuperſedentes, id ſolum monemus, vocem בשר proprie carnem deſignantem, toties vel generatim omnia animantia, *Gen. VII, 15. 16. pſal. CXXXVI, 25.* vel ſpeciatim vniuerſum genus humanum *Gen. VI, 12.* indicare, quoties illi כל adiicitur. Itaque impii abominati erunt omnibus hominibus. Beati quidem, iuſtiſſima Dei iudicia concelebrantes, facere non poterunt, quin eorum amentiam, impietatem, foeditatem auerſentur. Conf. *pſal. LII, 8. 9.* Damnati cum ſuam, tum aliorum & ſtultitiam & miſeriam conſiderando, ſe iuxta atque alios maxime exſecrabiles putabunt. Ipſe denique Chriſtus, carnis humanae particeps, illos exſecrabiles longiſſime a ſe remotos volet. Non tantum vero omni carni erunt abominationi, ſed & angeli & ipſe Deus, eos abhor-

* *clav. ſcript. ſacr. part. I. voc. caro.*

abhorrebunt. Conf. *prou. I, 23. seq.* O miseros illos, quos tanta ignominia aeternum animi excruciat!

§. XXVI.

Varia adfert GERHARDVS si non aperte, tecte tamen, verba haecce labefactatura. Cum enim damnatos omni carni abominatos fore, inficiari nequeat; a Christo tamen non minus, quam a beatis, illorum habitum iri rationem, arbitratur. Fieri enim non posse, quin Christo tandem aliquando reconcilientur, qui pro illorum salute vitam ponere nullus dubitauerit. Neque etiam officium sacerdotale, quo Christus aeternum fungatur, consummatissimum permittere, vt gratia sua atque misericordia desit omnium miserrimis. Numquam ergo eum intermissurum, precibus grauissimis contendere, vt Deus illorum misereatur. Beatos etiam pro suo amore & officio tam regio quam sacerdotali, damnatos ad saniorem mentem reuocaturos. Quodsi enim viderint, eos miserrime haberi, qui se, dum vitam viuerent, vel minima in re adiuuerint: fore, vt Christi merito freti, tamdiu Deum precibus fatigent, donec vel de grauitate vel de diuturnitate poenarum aliquid remittat. Atque hac ratione mercedem consequuturos, qui vel minimo christianorum poculum aquae frigidae bibendum dederint, *Matth. X, 42.* siquidem defuncti in aeterna a beatis admittantur domicilia; *Luc. XVI, 9.* Huc, ni fallor, collineant, quae auctor *§. 272. p. 241. §. 497. p. 394. seq. §. 725. p. 584. seq.* ingenti verborum adparatu differit.

§. XXVII.

Verum a verbis planissimis oraculi diuini, quibus damnati dicuntur omni carni exsecrabiles futuri, iusto longius recedit GERHARDVS; tanto magis reprehendendus, quanto minus veritati vana commenta oportet anteponi. Quare

haec adcuratius discutere non inconsultum puto. Christi quidem amor damnatis abiudicari nequit: si modo hoc recte intelligatur. Quid est enim, nisi amor, quo inductus magnis eos bonis cumulatos & promissis & comminationibus a pernicie reuocauit; exquisitissimos dolores, acerbissimam, denique mortem tolerando, Deo reconciliauit; gratiam, merito suo partam, illis proponendo ad aeternam felicitatem inuitauit; lento gradu ad vindictam sui procedendo mira facilitate tolerauit; nihilque fecit reliqui ad eorum salutem comparatum. Nec minus angeli maligni, tot tantisque ab eo bonis cumulati, vt ipsis aeternum liceret esse longe felicissimis, eum erga se amorem sunt experti, quo maior nullus cogitari potest. Iam vero deterrimi, quo se contaminarunt, sceleris magnitudinem considerari oportet: vbi & angeli, sede sua in veritate relicta, ambitione excaecati, principatumque adfectantes, homines, furiosa rapti inuidia, in summam detruserunt miseriam, odioque conditorem optimum sceleratissimo habuerunt; & homines, spreto Dei mandato, diuina, qua fulgebant, imagine se exuerunt, effrenato animo in castra genii maligni concesserunt, peccata peccatis addendo Deum ad iram concitarunt, gratiam denique toties sibi oblatam, proterue proculcarunt. Ideone illos Christus amauerit? Nequaquam, inquis, sed eos exsecrabiles habitos conficiet aeternis poenis. Quamdiu vero ista mala patientur? nonne, vt patet ex Iouae verbis, dum vermis eorum viuit, & ignis ardet? Scilicet. At vero nec vermis morietur, nec ignis exstinguetur. Concedas ergo oportet, eos aeternum fore exsecrabiles, nec vnquam Christi gratiam consequuturos.

§. XXVIII.

Nec est, quod nobis obiiciat GERHARDVS, officium Christi sacerdotale sibi non constare, nisi eius sanguine & preci-

precibus damnati olim poena liberentur. Etenim quid aliud requirit Christi officium sacerdotale, nisi sacrificium & intercessionem pro hominibus? Quaecumque enim in scriptura sacra de sanctissimo seruatoris sacerdotio commemorantur, commode ad haecce reuocantur capita. Eaque in re a nobis minus videtur dissentire GERHARDVS. Christum vero suo officio deesse putat, nisi damnatorum post hanc vitam misereatur, eosque poena liberet. Itaque nos oportebit demonstrare, hanc eius sententiam omni carere fundamento. Atque hoc nullo fieri poterit negotio, si modo & sacrificii & intercessionis Christi rationem considerauerimus. Quodsi enim poenae damnatorum infinitae Christi nec sacrificium nec intercessionem pro hominibus tollunt: officium eius sacerdotale minime euertunt. Christi vero sacrificium, oblatum pro peccatis hominum, non tollunt poenae infinitae. Illo enim ea omnia intelliguntur, quibus tum faciendo tum patiendo iustitiae diuinae abunde satisfecit. Conf. *Ebr. VII, 27. X, 14.* Ergo, inquis, peccata sine fine puniri non possunt. Possunt. Id vero non ideo, quod minus valeat Christi sacrificium, sed quod hoc ab impiis spernatur, reiiciatur, proculcetur. Omnibus viam ad salutem strauit optimus seruator; omnibus etiam sollicite inuitatis satis concessit virium ad eam ineundam. Quodsi vero nolint: num eos libertate priuabit voluntatis? An vero suo minus functus officio dicendus est, qui sapientissimo ordini reluctantes tandem auersatur? Sed nec intercessionem eius euertunt poenae infinitae: quamquam inde conficiatur, multos sua culpa earum efficacia priuari. Quemadmodum enim Christus pro omnibus sacrificium obtulit: ita etiam pro omnibus intercedit. Conf *Rom. VIII, 34. Ebr. VII, 24. IX, 24* Spernunt vero impii diuinam gratiam sibi partam seruatoris precibus. Ergone Christus suo defuit officio? Nequaquam. Cum ergo nec sacrificium nec inter-

interceſſio Chriſti poenis labefactetur infinitis: eaedem officium Chriſti ſacerdotale minime euertunt. Accedit quod ſacerdotale Chriſti officium a regio male ſeparetur. Scriptura enim eum non tantum ſacerdotem, ſed & regem nobis ſiſtit, cuius pedibus omnia ſubiecta ſint *Ebr. II,8.* Quare fieri nequit, quin hoſtes ſuos adficiat aeternum duraturis poenis, illosque ſceptro regens ferreo tamquam fictile collidat, *pſal. II, 9.* Aeque igitur inepte agunt, qui a Chriſti regio officio ſacerdotale ſeparant, atque illi, qui harmoniam diuinorum attributorum negligunt, hoc ipſo ruentes in grauiſſimos errores.

§. XXIX.

Quo maiori ſpecie, eo minori robore gaudet argumentum, deductum ab amore & ſacerdotio beatorum. Tantum enim abeſt, vt ex amore, quo beati flagrant, eos damnatis patrocinaturos eſſe, ſequatur, vt inde potius contrarium conficiatur. Amor namque beatorum perfectiſſime eſt comparatus ad voluntatem Dei beatiſſimi. Etenim omnibus imperfectionibus liberati, abſolutiſſima cognitione inſtruentur, *I.Cor. XIII,12.* e qua fieri non poteſt, quin rectiſsimus proficiſcatur amor. Deo etiam facti ſimiles *I. Ioh. III,2.* amore a Dei voluntate alieno, gaudere nequeunt. Itaque nequidquam beati, Deum prae omnibus colentes, dicuntur miſerturi eſſe damnatorum, quos maximo odio habet Deus omnium iuſtiſſimus. Conf. *Ioan. III,36.* Nonne exemplo Abrahami *Luc. XVI, 25.* condocemur, damnatos ne guttula quidem aquae iuuari a beatis; tantum abeeſt, vt ab his amentur. Quid eſt igitur cur dicti diuini: *eruntque omni carni exſecrabiles*, poſthabeamus veritatem?

§. XXX.

Nimirum beatorum requirit ſacerdotium, vt damnatos commiſerati ad frugem eos reducere conentur. Scilicet, quia

quia GERHARDO ita videtur, posthabita scriptura eius adsertis haereamus. Non credo, hoc a nobis GERHARDVM postulare: quare ad scripturae ductum sanam exponemus hac de re doctrinam. Vere christianos, non minus, quam ipsum Christum, sanctissimo fungi sacerdotio, exserte docent sacrae litterae: *apoc. I, 5. 6. I. Pet. II, 5. 9.* Equidem discrimen haud exiguum inter Christi eiusque sectatorum intercedit sacerdotium: in eo tamen conueniunt, quod sacerdotium vtrumque absoluitur & sacrificio & intercessione. Quodsi igitur piorum nec sacrificia, nec intercessionem euertunt poenae damnatorum infinitae; nec officium illorum sacerdotale labefactant. At vero nec sacrificia, nec interpellationes piorum cessabunt, licet damnati poenis adficiantur infinitis. Non minus enim in aeterna, quam hac vita diuini sacerdotes offerunt fractum spiritum, fractam adflictamque mentem *psal. LI, 18.* praestant corpora, hostiam viuentem, sacram, acceptam Deo; *Rom. XII, 1.* libant adsiduum laudationum sacrificium *Ebr. XIII, 15.* sacrificant Deo gratiis agendis; *psal. L, 14. 23.* Nec precibus interpellationibusque alios destituent *I. Tim. II, 1.* habita tamen in eis diuinae voluntatis ratione. Cum enim ne in hac quidem vita pro omnibus orandum sit peccatis, *I. Ioh. V, 16.* vbi tamen gratia diuina omnibus affulget; *Tit. II, 11.* quanto minus in futura vita, vbi imminet saeuitia, poena, calamitas, & angustia omni hominis praue agentis animae *Rom. VIII, 8. 9.* Quamquam igitur damnatos non commiserentur; fungentur tamen sanctissimo sacerdotio beati.

§. XXXI.

Quae porro GERHARDVS adfert loca *Luc. XVI, 9. Matth. X, 42.* eius sententiam minime euincunt. Non eadem omnibus recte factis praemia constituuntur; reportanturque ea vel in hoc vel in futuro aeuo. Sunt ergo prae-

mia vel mundana, vel diuina, vel aeterna. Mundana dixeris, quae *Leu. XXVI. & Deuteron. XXVII.* legi obsequuturis promittuntur, vt vita longaeua, opulentia, cetera. Ad diuina, quae & spiritualia vocantur, spectat incrementum gratiae diuinae, vbi ei, qui habet, vt abundet, datur; *Matth. XIII, 12.* Aeterna sunt, immortalitas & gloria, summaque, pios in vita sempiterna manens, felicitas. Conf. *Rom. II, 7. 10. I. Cor. XV, 41. 42. Dan. XII, 3. 4.* Quando igitur *Luc. XVI, 9.* seruator optimus dicit: *facite vobis amicos ex falsis opibus, vt cum defuncti fueritis, admittant vos in aeterna domicilia*, itemque *Matth. X, 42. qui horum minimo vel poculum aquae frigidae bibendum dederit, nomine discipuli; scitote eum non frustratum iri mercede sua:* patet inde omnino, mercede sua defraudari neminem, qui pios sua re familiari iuuerit. Cum enim Deus ea sit benignitate, vt interdum praemiis adficiat, qui simulata vtuntur pietate; quod quidem exemplo Achabi constat, *I. Reg. XXI, 29.* quanto magis, qui suos vere iuuerint, mercede donabit singulari. Concedit sane eis tum mundana tum diuina praemia. Quemadmodum enim sanitate, honoribus, diuitiis illos abunde remuneratur: ita eos singulari quadam gratia ad emendationem & salutem inuitat *Rom. II, 4.* Quodsi vero diuitem eius benignitatem, facilitatem ac lentitudinem contemnunt: fieri nequit, quin sibi ipsi in diem supplicii congerant supplicium *Rom. II, 5.* tantum abest, vt vita sempiterna potiantur. Potest interim & tali modo beneficia suis praestita Deus remunerari, vt de poenarum nonnihil remittat grauitate. Quando vero in hac vita locum relinquunt gratiae diuinae, fidemque seruatori nostro habent: fiet omnino, vt, aeternis praemiis adfecti, in beatorum aeterna domicilia recipiantur. Itaque aeternis exultantes gaudiis acturos esse damnatorum caussam, ex *Luc. XVI, 9. & Matth. X, 42.* minime conficitur.

§. XXXII.

§. XXXII.

Atque ita luculenter, ni fallor, diuinum dictum explicauimus, destructisque GERHARDI obiectionibus, aeternas damnatorum poenas omni adseruimus carere fine. Si quis, praeiudicatis opinionibus reiectis, diuinam lucem impetrauerit; is nimirum facile perspiciet, fieri non posse, vt poenae eorum finiantur, quorum, cum sint abominati omni carni, nec vermem mori, nec ignem exstingui velit Deus constantissimus veracisimusque. Possemus hic gradum sistere; cum hoc oraculo diuino omnia GERHARDI commenta prosternantur. Ea etiam gaudet euidentia, vt aliunde ei lucem conciliari, necesse non sit. Vt tamen perspiciatur, eamdem saepius in sacris litteris veritatem inculcari; nonnulla earum loca sequenti sectione, Deo iuuante, adducemus indicabimusque.

SECTIO SECVNDA DOGMATICA.

§. I.

CVm vero instituti nostri nec permittat, nec requirat, ratio, de reliquis, quibus doctrina sana confirmatur, scripturae sacrae locis tam multis verbis exponere: summam eorum complectemur, GERHARDI insimul obiectiones soluturi. Primum vero merito adducimus verba seruatoris nostri, diuino dicto, considerato *sectione prima*, plane consentanea: ὅπου ὁ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτᾷ, καὶ τὸ πῦρ οὐ σβέννυται, *Marc. IX, 44. 46. 48.* Quando enim Christus summum, crimina necandi, studium commendat, & tanto vitia odio abhorrere docet, vt prius manum abscindamus, quam ea vtamur ad peccata perpetranda: caussam addit: *sa-*

tius est enim tibi, mancum in vitam ingredi, quam duas habentem manus abire in gehennam, ignem inextinctum, vbi nec eorum vermis interit, nec ignis extinguitur. v. 42. 43. Vtque eius voluntatem seriam magis intelligeremus; bis repetere haec verba nullus dubitauit *v. 44.--47.* Nouit enim optime seruator, quam facile sibi peruersae rationi indulgentes homines persuadeant, nec adeo graues, nec adeo diuturnas fore poenas, impios aeternum cruciantes.

§. II.

Ebraei orcum dicere solebant *gehennam;* voce haud dubie ex גיא *vallis*, & nomine proprio הנום, *Hinnom*, cuius *Ios. XVIII, 16.* mentio iniicitur, originem trahente. Cum enim Israëlitae, peruersos Ammonitarum mores imitando, Molechi idolo, in valle Hinnom constituto, liberos suos offerrent comburendos; deinde vero rex Iosias, abominanda haecce crimina abhorrens, cadaueribus, ossibus, aliisque sordibus in eadem valle congestis & crematis, eam contaminasset, & omnibus fecisset exsecrabilem; *II. reg. XXIII, 10. 14.* factum inde, vt ipsi auerno, seu loco damnatorum, apud Ebraeos gehennae nomen daretur. Vnde & chaldaeus interpres locum *Es. XXIII, 14.* παραφράζει: גהנם יקידות עלם *gehenna, ignis aeternus.* * Ad vocem gehennae referenda & particula ὅπου, *vbi*, locum ostendens, vbi decretum diuinum, de numquam nec necando verme, nec igne exstinguendo, impleatur.

§. III.

Quae cum poenis damnatorum nullum relinquant finem: GERHARDVS tamen nihil adferre noluit, ad illa infringenda,

* Conferat. LIGHTFOOT, *horis ebr. & talmud. ad Matth. V, 22.*

fringenda, vel saltem labefactanda. Cum enim plana verba, quibus & vermem necatum, & ignem exstinctum iri, negatur, non audeat inficiari: PETERSENIVM sequutus adserere non dubitat, cumprimis ad vocem ὅπου *vbi* hic respiciendum esse, qua vermis numquam non victurus, & ignis numquam non arsurus, ad gehennam tantum reuocetur. Nihil itaque inde sequi, nisi vermem tamdiu torturum esse impios damnatos, donec ex gehenna dimittantur. Quod cum certissime futurum esse alia euincant loca; ex hocce loco infinitas poenas nequidquam probari.

§. IV.

At fallitur egregie GERHARDVS, ac dum saluam cupit suam apocatastasin, male veritati consulit. In eo quidem non errat, quod ad vocem ὅπου probe attendendum esse, monet: siquidem ea, ad vocem gehennae relata, condocemur, non de poena quadam, in vita hacce subeunda, sermonem esse seruatori optimo; vt falso putat GROTIVS; sed de tormentis exquisitissimis post hanc vitam in gehenna tolerandis. Quando vero non tantum ex voce ὅπου conficere conatur, in gehenna solum nec vermem moriturum, nec ignem periturum, sed & inde porro infert, poenis liberatum iri impios damnatos auerno abolito: testor omnes sana ratione praeditos, annon eiusmodi adserto suam confirmare studeat sententiam, quo de adhuc disquiritur & disceptatur. Futurum enim esse, vt auernus siue gehenna, aboleatur, non magis euictum est, quam adsertum iri in felicitatem impios damnatos. Nam cum PETERSENIO GERHARDVS ad locum *I. Cor. XV.* nequidquam prouocat: cum omnis contextus doceat, mortem ibi tantum in piis dici abolendam. Quodsi etiam superiorem dicti nostri scripturam consideremus, vbi Christus tantum vrget peccatorum

torum odium, vt ne membris quidem parci velit, dummodo peccatum, hinc & gehennam, euitemus: non parum inde noſtram confirmari ſententiam intelligemus. Idque celeberrimus IABLONSKT probe habuit perſpectum, ita hac de re exponens: *Wie haette der Heyland ſolcher Geſtalt reden koennen, wenn er nicht voraus geſetzt, daſs die Straffen der Verdammten würden ewig ſeyn? Haette er gewuſt, daſs der Wurm nach einiger Zeit ſterben, das Feur nach einiger Zeit verloeſchen, vnd ſo denn die Gottloſen zur Freude des Himmels verſetzt vverden ſolten; ſo haette er vielmehr alſo reden müſſen: Hoehret ihr Menſchen-Kinder, ſo euch eure Hand aergert, ſo hauet ſie ab, ſo vverdet ihr einige Iahr eher ſelig vverden; vvo ihr aber ſie nicht abhauet, ſo vverdet ihr etliche Iahr ſpaeter in den Himmel gelangen.* *

§. V.

Quodſi porro verba Chriſti *Matth. XXV, 46.* καὶ ἀπελεύσονται οὗτοι εἰς κόλασιν αἰώνιον· οἱ δὲ δίκαιοι εἰς ζωὴν αἰώνιον, adcuratius conſideremus: fieri nequit, quin fine deſtitutas damnatorum poenas intelligamus. Chriſtus nimirum, de extremo iudicio exponens, fore adſerit, vt cauſſa cognita *v. 35. 42.* ſententiaque dicta *v. 34. 41.* iuſti non minus, quam iniuſti reportent, quae ſuis ipſimet factis meruerint. Quemadmodum enim pii, Chriſti morte confiſi, iuſtitiaque Dei, in euangelio reuelata, induti, aeternis beabuntur gaudiis: ita impii, ſpreto Chriſti merito, reiectaque Dei gratia, exſecrabiles aeternis addicentur cruciatibus. Et quemadmodum arreptum fide Chriſti meritum, finis neſciam beatitatem parit: ita fieri nequit, quin ex reiecto ſpretoque Chriſti merito, damnatio ſequatur infinita. Qualis enim inter cauſſas,

* in *concione ad Luc. XVI.*

cauſſas, talis etiam inter earum effectus, σχέσις deprehenditur. Atque inde patet, eamdem & poenis & praemiis aeternitatem conuenire. Cum autem negari nequeat, beatitudinem aeternam dici, proſcripto omni fine: eodem modo damnationem debere ſtatui aeternam, quilibet praeiudicatis vacuus opinionibus intelligit.

§. VI.

Quae obſtrepit GERHARDVS, ita comparata ſunt, vt veritates diuinas omnium ludibrio exponant. Vt enim quo floreat ingenio, oſtentet; in re grauiſſima, puerorum more, non veretur ludere. Quaſi vero amor iubeat, aculeis ineptis compungere diſſentientes. Serio, non ioco, res diuinas tractari, oportet. Argumentis, non verborum lenociniis, res conficitur. Qui ſe caecorum ducem profitetur; eum ſcurram agere num decet? Deus certe a nobis omnium inutilium verborum rationem exiget. Ne errantibus quidem illudendum eſt, multo minus iis, qui ſanae doctrinae ſtudent. Tantum etiam abeſt, vt ſalibus eiusmodi doctrinae ſacrae conſulatur, vt iis in diſcrimen potius coniiciatur maximum. Iſtas ergo ineptias, diuinis verbis mixtas, impune non feret GERHARDVS; niſi induerit mentem ſaniorem: quod quidem optamus maximopere. Ceterum ad duo, ni fallor, capita redeunt, quae auctor aliis conatur perſuadere. Primum enim, cum ex obiecti ratione aeſtimandum ſit, quo modo quid aeternum dicatur: damnationem omnem reſpuere finem, prius debere demonſtrari, arbitratur, quam verba iſta: *abibunt in aeternam poenam*, damnationem probent infinitam. Conf. §. *165.--173.* Deinde vero, cum probe perſpiciat, obſtare ſibi ſententiam: *iuſti vero abibunt in aeternam vitam*, citatis verbis: *abibunt in aeternam poenam* arcte iunctam; quandoquidem abſonum eſſet

esset credere, prius *aeternum*, finitum, posterius, infinitum tempus indicare: regulas metaphysicas: *oppositorum opposita est ratio*, item *oppositorum eadem est ratio*, quibus nonnulli vtuntur in explicando hocce dicto, mire exagitat, posthabita omni grauitate, in rebus omnibus, nedum in sacris, summe necessaria. Conf. §. *173.--191.*

§. VII.

Verum omnem perdit operam GERHARDVS in euertenda veritate. Quod enim attinet ad regulas, ex topica petitas; eae nostrae minime officiunt sententiae; quemadmodum GERHARDVS cauillatur; si modo recte intelligantur. *Oppositorum oppositam esse rationem*, negari nequit. Cum ergo damnationi beatitudo opponitur; oppositam etiam habet rationem. Enimuero hinc iustitia, illinc iniustitia; hinc amor, illinc odium; hinc pax, illinc bellum; hinc gratia, illinc ira; hinc laetitia, illinc tristitia, deprehenditur. Nec minus tamen planum est *oppositorum eamdem esse rationem*. Quodsi enim in vno tertio conueniant; non potest non eorum in illo tertio vna esse ratio. Quae ergo regula huc quadrat? Mihi quidem prior illa: *oppositorum opposita est ratio*, huc pertinere non videtur. Cum enim damnatio non minus quam beatitudo dicitur aeterna; vtrique illud tertium aeternitatis conuenit. Itaque huc spectat regula: *oppositorum eadem est ratio*. Atque ita perspicuum est, nobis topicas minime obstare regulas: si modo, vt res postulat, adplicentur.

§. VIII.

Interim iis nostram nec destructam nec adstructam volumus sententiam; scriptura sacra nobis patrocinante. Caussa certe non cademus; licet missas faciamus istas regulas: modo iudex non iniquus sedeat. Dari nobis nihil postulamus,

lamus, nisi quod iubet concedi nobis aequitas. Largiatur nobis GERHARDVS, Christi verba eo non esse comparata, vt vel errorem creent, vel absurdum inferant: quandoquidem summa Christi & charitas & sapientia hoc prohibet. Quod si, vt speramus, ab illo impetrauerimus: res facile conficietur. Sana enim ratione condocemur, neminem, nisi aliis impositurum, tam absurde loqui, vt voci alicui sine ratione significationem, ab ea, qua antecedenti inciso illam vsurpauerat, plane abludentem, tribuat. GERHARDVS tamen non veretur, Christo omnium sapientissimo, eiusmodi tribuere sermonem, vbi modo in hac, modo in alia significatione eadem se vox excipiat. Quod quam sit absonum, ipse iam AVGVSTINVS obseruauit, qui, *Christus*, inquit, *in vno eodemque loco, in vna eademque sententia dixit: ibunt isti in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam. Si vtrumque aeternum, profecto aut vtrumque cum fine diuturnum, aut vtrumque sine fine perpetuum debet intelligi. Par pari enim relata sunt. Dicere autem in hoc vno eodemque sensu: vita aeterna sine fine erit; supplicium aeternum finem habebit, multum absurdum est.* * Itaque haec firmo fundamento nititur sententia, non finiri poenas damnatorum; vtpote eadem ratione, qua beatorum praemia, aeternas.

§. IX.

Inuictum porro pro infinita poenarum infernalium duratione argumentum praebent verba seruatoris nostri *Matth. XII, 32.* ὃς δ' ἂν εἴπῃ κατὰ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου, οὐκ ἀφεθήσεται αὐτῷ, οὔτε ἐν τούτῳ τῷ αἰῶνι, οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι. Tantum verba haecce habuisse ponderis, vt olim GERHARDO prae ceteris poenas infinitas persuaderent, ipse profitetur. Loquitur

* *lib. XXI. de ciuitat. Dei cap. XXXII.*

vero optimus seruator de peccato in spiritum sanctum, eiusque tantam dicit esse grauitatem, vt nec in hoc nec in futuro remittatur saeculo. Enimuero solebant Iudaei, dissensum a Sadducaeis, qui vnum tantum crepabant saeculum, demonstraturi, hoc a futuro distinguere, per vtrumque, testante LIGHTFOOTO,* aeternitatem omnem intelligentes. Christus itaque, apud Iudaeos agens, & veniam peccatis in spiritum sanctum in vtroque negans saeculo; verbis hisce, ex Ebraeorum dicendi ratione explicandis, numquam peccatoribus in spiritum sanctum ignosci, aperte docet. Cum ergo in neutro saeculo culpa careant damnati; in neutro saeculo poena liberari possunt; cum culpa esse sine poena nequeat. Hoc igitur dictum nullum relinquit locum apocatastasi vniuersali.

§. X.

GERHARDVS quidem omnes intendit neruos, vt nobis hocce telum eripiat. Primum enim multos adducere in errorem putat LVTHERI versionem, qua falso αἰῶνα per *VVelt* exponat. §. *274.* Deinde ex eo, quod peccato in spiritum sanctum omnis venia negetur, nullo nomine sequi, arbitratur, illud sine fine punitum iri. Neque enim idem esse, infinita poena adfici, & nullam peccatorum impetrare veniam, §. *278. 279.* Hic ergo saeculum futurum increatum, omnis finis expers, non posse intelligi; §. *285. seq.* §. *220. seq.* Ineptum etiam esse, cum huic saeculo futurum opponatur, per alterum αἰῶνα, finitum, per alterum, infinitum tempus intelligere, §. *192.--202.* Etsi itaque peccata puniantur in futuro saeculo, nec vllam consequantur veniam: inde tamen infinitas poenas nullo modo confici: quemadmodum ex fine poenarum nullo modo sequatur, veniam concedi in diuinum spiritum peccantibus. §. *279. 288.* Huc, quantum

* in *hor. ebr. & talmud. ad h. l.*

quantum quidem mihi videtur, redeunt, quae M. GERHARDVS adferre nullus dubitauit.

§. XI.

Sed si iusta lance ponderamus, quae hic conuectat GERHARDVS; ea tanti non esse, vt iis veritas tollatur, facile deprehendemus. Nihil quidem humani a Luthero homine putamus alienum: hac tamen in re eum excusamus merito. Quamquam enim voci αἰών non plane respondeat germanica vox *VVelt:* sensui tamen seruatoris nostri singulariter adcommodata est; vt ex supra dictis patet. Itaque tantum abest, vt alios in errorem adducat, vt confirmet potius in veritate. Ex eo vero, quod omnis, peccato in diuinum spiritum tum in hoc, tum in futuro saeculo, negatur venia, omnino sequitur, illud sine fine puniri. Cum enim omne peccatum excipiat reatus tam culpae quam poenae: quamdiu culpa non vacabunt iniurii in diuinum spiritum, poena non liberabuntur. Nam culpa poenam parit; caussa vero sine effectu esse nequit. Cum itaque diserte adserat seruator optimus, numquam ignosci peccantibus in sanctiorem spiritum: fieri nequit, vt vel in hoc, vel in futuro saeculo a poena liberentur.

§. XII.

Quodsi concedis, peccantes in sanctum spiritum nec in hoc nec in futuro saeculo impetrare veniam; nec tamen poenas infinitas inde confici existimas; cum saeculum futurum, non minus quam hoc, finem habiturum sit: hoc quidem probandum tibi esse putato. Neque enim sufficit ad demonstrationem, ingeniosis verbis imprudentibus imponere; sed graues ex scriptura sacra adferri oportet rationes. Quod num factum sit a GERHARDO, qui iudicio pollent, iudicabunt. Nos quidem minime negamus, multorum αἰώνων in scriptura sacra mentionem fieri; omnem tamen

aeternitatem intelligi debere, cum huic saeculo futurum opponatur, §. *VIII.* huius sectionis iam euicimus. Quando vero GERHARDVS ineptum putat, per hanc αἰῶνα, finitum, per futurum, infinitum tempus intelligere: res ipsa docet, eum egregie falli, ne dicam fallere. Nemo enim non intelligit, huius saeculi, cum aliud sequatur, finem fore: at futuri saeculi diuersam esse rationem, vel inde patet, quod seruator noster nullum saeculum, futurum excepturum, memoret.

§. XIII.

Frustra denique adserit GERHARDVS, non sequi ex poenarum fine, concedi veniam peccantibus in spiritum sanctum. Poena enim solui nequeunt damnati, nisi prius culpa leuentur. Neque enim, nisi cessante caussa, effectus cessat. Poenis autem finem habentibus delictum in diuinum spiritum non expiatur; vt ipse fatetur GERHARDVS §. 771. Nam delicti contra Numen infinitum macula finitis poenis deleri nequit. Neque Christi meritum a culpa illos liberat, qui vitae correctione iterum renouari plane nequeunt, *Ebr. VI, 4. 6.* Quodsi ergo nec per Christi satisfactionem, nec per poenas damnatorum, macula eluitur peccati: poenis nullus imponi finis potest; cum Dei iustitia hoc prohibeatur.

§. XIV.

Vnum adhuc adducemus dictum, tanto diligentius considerandum, quanto maiori detorquetur specie. Legitur illud *Ebr. II, 16.* οὐ γὰρ δήπου ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται, ἀλλὰ σπέρματος Ἀβραὰμ ἐπιλαμβάνεται· *Non enim sane angelos adsumit, sed semen Abrahae adsumit.* Nostrum erit, proponere non tantum verum eius sensum, sed & a contortionibus GERHARDI eumdem vindicare. Neutrum rite fiet, nisi

nisi & superiorem & inferiorem dicti huius scripturam considerauerimus. Scopum namque verborum Pauli inde omnium optime perspiciemus. Dicentis autem scopum vel maxime ad indagandum sensum facere, quis est, qui neget?

§. XV.

Paulum in epistola ad Ebraeos id cumprimis agere, vt & Christi maiestatem praedicet; *cap. I.--X. v. 18.* & hac eosdem prouocet ad maius sanctitatis studium; *cap. X. v. 18. ad finem;* ignorare puto neminem, qui eam paullo legerit curatius. In priori ergo dum versatur parte, Christum *cap. I.* non modo effert supra omnia; verum inde etiam infert, eius doctrinae solidam deberi audientiam, cum ob alias rationes, quas *cap. II. v. 1.--13.* commemorat, tum quod eum fratris loco sacerdotem summum habeamus, *v. 14.--18.* Vnde nemo non intelligit, de humana, quam Dei filius induit, natura Paulo hic sermonem esse. Cum enim *v. 14.* dixisset: *quoniam igitur pueri participes sunt carnis & sanguinis, ipse quoque similiter particeps factus est eorundem &c.* statim subiungit: *non enim sane angelos assumit, sed semen Abrahami assumit.* Quibus verbis Paulum demonstrare velle, non angelorum, sed hominum naturam, induisse seruatorem optimum, ipsa, quae praecedit, indicatur ratione. Ideo enim eum factum esse carnis & sanguinis participem, diserte Paulus docet, *vt per mortem aboleret eum, penes quem esset mortis robur, hoc est diabolum, & liberos redderet, quotquot metu mortis per omnem vitam damnates erant seruitutis.* Quibus ex verbis non tantum intelligitur, non potuisse fieri, quin hominum naturam indueret optimus seruator, cum eos in libertatem vindicare vellet; sed & tantum abesse, vt diaboli adsciuerit naturam, eumdem a damnatione liberaturus, vt potius eum abolere constituerit. Idque

etiam verba, quae *versic. 16.* excipiunt, faciunt planissimum.

§. XVI.

Inde itaque conficitur, vt per angelos non nisi natura angelorum sit intelligenda; quemadmodum contra Christi humana natura semen Abrahami dicitur. Neque enim hoc est insolens, vt in scriptura sacra concretum, quod vocant, legatur pro abstracto; sicut & abstractum pro concreto saepe consueuit vsurpari. Sed & per Abrahami semen humanam hic intelligi naturam, facile probari potest. Quamquam enim modo Ebraei, Abrahami natura posteri; *Ioh. VIII, 33.* modo pii, eiusdem fide filii; *Gal. III, 29. cet. Rom. II, 28. 29. IX, 8.* modo Christus, vbi humana eius natura in censum venit, *Gal. III, 16. Act. III, 25.* semen Abrahae dicantur: hic tamen non nisi humanam Christi naturam indicari, tota nimirum condocet oratio. Confirmat idem princeps vocis ἐπιλαμβάνεσθαι significatio. Eam enim proprie significare, *insuper aliquid adsciscere*, ex notione particulae ἐπὶ condiscimus. Verus ergo sensus est, Christum diuina natura gaudentem humanam, non angelorum, insuper sibi naturam adsciuisse. Vnde sequitur, non angelos, sed tantum homines, Christum ex damnatione in beatitatem vindicare. Nam iustum Dei iudicium eiusmodi requirit sospitatorem, qui ipsa nocentium natura indutus eorum personam sustineat. Hinc Christus, humanum genus redemturus, non poterat non humanam induere naturam, *Ebr. II, 14.* Quod nisi fecisset, mortem pro hominibus oppetere, eosdemque ad salutem reducere, frustra studuisset. Cum ergo ne homines quidem humanae naturae expers valuit redimere: nonne absonum est, adserere, malignos angelos a Christo in libertatem adsertum iri, quorum naturam eum induisse, exserte, vt supra ostendimus, scriptura negat? Quod si vero angelorum

rum cauſſam non egit Chriſtus: fieri nequit, vt eorum poenis vllus imponatur finis.

§. XVII.

Dubia, quae ſibi hic ſumit nectere GERHARDVS, eo fere redeunt: concretum angelorum, poſitum in numero multitudinis, naturam angelorum abſtracte numquam deſignare: §. *367.--372.* item *378.--380.* primam vocis ἐπιλαμβάνεσθαι ſignificationem, qua denotet *adſumere*, *adſciſcere*, vrgente nulla neceſſitate, non eſſe deſerendam; §. *374--377.* nec arbitrio orthodoxorum eſſe permittendum, voci ἐπιλαμβάνεται, *adſumit* praeteriti affingere ſignificationem: §. *381.* tam verba ſuperiora, *v. 14.* quam inferiora, *v. 17.* iis repugnare, qui per angelos intelligant naturam angelorum: §. *382.* particula γάρ non tam cauſſam, quam effectum, incarnationis Chriſti indicari: §. *382.* nec ſcripturae ſacrae, nec ſanae rationi, eſſe conſentaneum, per ſemen Abrahae naturam humanam, quae potius dicenda ſit Adami ſemen, indicari: §. *384.* nulla ergo ratione hocce dictum poenis infinitis patrocinari.

§. XVIII.

Diſcimus exemplo GERHARDI, multos requiri ad vnum palliandum errores. Enimuero concretum numeri pluralis non poſſe pro abſtracto vſurpari, fruſtra dicitur. Cum enim vocabula abſtracta pro concretis adhibeantur in plurali, vt *Dan. IX, 23. deſideria tu es*, hoc eſt, deſideratiſſimus: quid obſtat, quo minus vocabula concreta pro abſtractis in numero plurali vſurpentur? Cum enim non ſit inſolens, vt in ſcriptura ſacra concretum denotet abſtractum, & ſcopus non minus, quam orationis nexus, abſtractum hic intelligi debere, innuat: multum errat bonus ille vir, qui ob numerum multitudinis id negare audet. A prima vocis

cis ἐπιλαμβάνεσθαι significatione, vbi denotat *adsciscere, adsumere*, non receſſimus: quemadmodum ex §. *XVI. huius ſectionis* intelligitur. Nam tantum abeſt, vt illa nobis aduerſetur, vt noſtram vel maxime ſententiam confirmet. Quis eſt enim, quem vel vitae vſus, vel ſcripturae ſtilus, vel aliorum auctorum lectio, hanc non doceat loquendi rationem? Praeſens namque pro praeterito, adeo frequenter, praeſertim ab hiſtoricis, conſueuit vſurpari, vt ſaepe nulla cogente ratione illud fiat. Finge vero, hic obtinere praeſentis ſignificationem: num inde abſonum ſequetur? Scilicet: nam vnitio eſt tranſiens & momentanea. Quodſi vero vocem ἐπιλαμβάνεται non tantum de vnitionis actu, ſed & vnionis ſtatu, qui etiamnum durat, accipiamus; nullum inde, puto, conficies abſurdum. Verum non dubito, fore plerosque, qui plura hac de re moneri ſuperuacaneum iudicent.

§. XIX.

Itaque conſiderabimus, quo iure adſerat GERHARDVS, contextu & continuatione ſermonis noſtram labefactari & euerti interpretationem. Nec tamen committemus, vt referendo iterum, quae ſupra iam §. *XV.* monuimus, abutamur tempore. Conuenit GERHARDO nobiscum, *verſiculo 14. quoniam pueri participes ſunt carnis & ſanguinis, ipſe quoque ſimiliter particeps factus eſt eorum*, de Chriſti incarnatione agi. Non magis negat, verbis ſubſequentibus: *vt per mortem aboleret eum, penes quem eſſet mortis robur, hoc eſt diabolum, & liberos redderet, quotquot per omnem vitam damnates erant ſeruitutis*, effectum incarnationis indicari. Huius autem effectus rationem, *v. 14.* iam indicatam, *v. 16.* iterum inculcari; id vero eſt, quod ſibi perſuadere nequit. Ideoque relinquere ordinariam particulae γὰρ ſignificationem, eamque vertere per

quam-

quamobrem, non dubitat. Nam perabsurdum putat, dicere: Christus particeps factus est carnis atque sanguinis, hoc est, Christus *naturam humanam induit*, adiuncta ratione: *nam* adsumit semen Abrahae, hoc est, *naturam humanam induit*. Sed vide, qua vtatur fraude? Num verba: *semen Abrahae adsumit*, caussam dicimus verborum: *carnis & sanguinis factus est particeps?* Nonne potius, *versiculo 16.* adferri rationem adfirmamus verborum: *vt per mortem aboleret eum, penes quem esset mortis robur, hoc est, diabolum, & liberos redderet, quotquot metu mortis per omnem vitam damnates erant seruitutis?* Quid hic occurrit absoni? Num ratione destitutum perhibebis, qui adseuerauerit: Christus non induit naturam angelorum, vt aboleret diabolum; & contra: Christus assumsit naturam humanam, vt morte sua homines in libertatem vindicaret? Cum vero sano sensu gaudeant haec verba: quid sibi sumit GERHARDVS, vt genuinam vocis γάρ postponat notionem, qua caussam indicare solet? Num ei erit liberum, particularum, quas indices ac testes realis connexionis omnes confitentur, peruertere significationem? Absurdum, inquit, sequitur, nisi transferatur *quamobrem*. Scilicet absurdum est, quod caussae eius aduersatur. Quasi vero exempla desint, vbi idem in eodem loco bis inculcetur. Quae quidem exempla longa serie referri possent; si rem in vulgus notam vellemus decantare.

§. XX.

Quare de eo disquiremus, an tum rationi, tum scripturae sacrae repugnet, per *semen Abrahami* naturam Christi intelligere humanam. Vtrumque adserit GERHARDVS, caussam interserens, naturam humanam rectius Adami semen vocari, eamdemque nusquam in scriptura sacra adpellari Abrahami semen. Reliquum ergo esse, vt per se-

men Abrahami non nisi pios intelligamus homines. At, pace GERHARDI, pauca regeremus. Damus, fidem Deo habentes recte dici semen Abrahae. Hic autem pios vocari semen Abrahae, quod assumserit seruator; id vero est, quod ratione destituitur. Non minus enim tota orationis series, quam dicentis scopus postulat, vt hic intelligatur hominum natura. Quamquam ergo nusquam, nisi hic, in sacris litteris natura Christi humana diceretur semen Abrahami: tamen inde contrarium conficere nequidquam niteris. Non enim sequitur, quae semel tantum in scriptura sacra occurrit vocis notio, eam esse reiiciendam; licet vel contextus, vel scopus sermonis, aliud suadeant.

§. XXI.

Neque tamen id concesserо, nusquam in scriptura sacra semen Abrahae humanam Christi naturam indicare. Nam ipse GERHARDVS diffiteri nequit, Christum dici semen Abrahami. Cum vero hocce nomine diuina, qua gaudet Christus, natura non veniat: humana omnino oportet innuatur. Si regeras, Christum, concrete spectatum, vocari tantum semen Abrahami: nos quidem non refragabimur. Verum, cur non semen Adami? Natus, ais, Abrahamo recte semen Abrahami adpellatur. Bene. Nonne vero eadem ratione inductus humanam Christi naturam recte semen Abrahae vocaueris? Apage. Dicenda enim est natura humana potius Adami semen. Non loquimur de natura humana generatim spectata, sed de natura humana Christi. Illam recte Abrahami semen adpellari, nemo dixerit: haec vero Abrahami semen cur non audiat? Quis est, qui istas ineptias nec videat, nec doleat? Apparet enim omnibus, ideo humanam Christi naturam dici semen Abrahae, quod originem ab Abrahamo trahit. Huc accedit, quod

quod ex sententia GERHARDI, qua pios tantum per semen Abrahae intelligit, redemtio, qua de v. 15. sermo est, ad solos pios pertineat. Et quam inepte diceres: Christus induit naturam humanam: ergo solos pios assumit. Id vero est, quod sibi vult GERHARDVS. Sed non est, quod immoremur his diutius: cum instituti nostri ratio requirat breuitatem. Itaque his contenti reliqua scripturae sacrae dicta, quibus eadem ἀποκατάστασις labefactatur, ad vltimum dissertationis nostrae caput progressuri, intermittimus.

SECTIO TERTIA POLEMICA.

§. I.

QVibus suam stabilire nititur ἀποκατάστασιν GERHARDVS, argumenta, ea vel ratio peruersa peperit, vel scriptura inuite suppeditauit. Scilicet eadem, qua prisci ἀποκαταστάσεως patroni, incedens via, scripturae testimoniis ad ea defendenda, quae ratio nugatur, abuti non veretur. Nostrum ergo merito putamus, ab iniqua non tantum interpretatione sacrarum litterarum dicta vindicare, verum etiam profecta ex abusu rationis dubia diluere. Nam etsi rationem arcanorum Dei consiliorum iudicem non admittamus; vna quippe scriptura sacra freti: tamen sententiae GERHARDI rationem minime patrocinari, firmiter persuasi, dubia, quae *primo* nectit *capite*, soluendo, operae facturi nobis pretium videmur. Non tamen committemus, vt instituti minus memores, progrediamur iusto longius.

§. II.

Primum GERHARDVS adserit, nec bonitati, nec potentiae, nec veracitati, nec iustitiae diuinae conuenire poenas infinitas, iure ideo reiiciendas. §. *1--36.* Diuinae bonitati poenas infinitas repugnare inde probat, quod Deus dici nequeat diaboli essentiam, in se consideratam, odisse: cum ea per se spectata consensu omnium sit bona; ab ipso quippe Numine creata. §. *7--15.* Quodsi autem Deus diabolum aeterno calamitatis onere leuari, suaque impertiri felicitate nolit; sequi inde, Deum omni erga essentiam diaboli destitui amore. §. *16. 17.* Summam Dei potentiam labefactari arbitratur, si vel contendamus, fieri non posse, vt Deus ab essentia diaboli eiusdem separet malitiam, re tamen vera ab ea differentem, vel adseramus, absolutam Dei potentiam stygia superari violentia. §. *22-29.* Destrui veracitatem Dei infinitis poenis, id quidem est, quod toto *quarto capite* euincere conatur auctor. Denique Numinis aequissimi iustitiam euerti poenis fine destitutis, inde putat consequi, quod ex amore Dei eiusdem emanet iustitia. Cum ergo §. *6--17.* probasse luculenter auctor sibi videatur, iubere Dei amorem, vt finis tandem imponatur poenis damnatorum: corruere iustitiam existimat diuinam, si omnem poenis denegemus finem. §. *36.* Huc, meo quidem iudicio, redit primum auctoris contra infinitas poenas argumentum, quod, aeternis quippe nixum veritatibus, putat inuincibile.

§. III.

Non ii sumus, qui verum esse statuamus, quod Dei bonitatem, potentiam, veracitatem & iustitiam euertat. Verum destrui diuina haecca attributa, nisi tandem aliquando damnati poenis liberentur; id quidem nobis nondum est perspectum atque cognitum. Quod enim attinet ad bonitatem

tatem Dei; ea, aeternum duratura numquam dimouebitur; cum eius non minor, quam essentiae diuinae, sit magnitudo. Verum tantum abest, vt ideo diabolum amore prosequatur, a poenis eum in beatitatem vindicaturus, vt potius eumdem aeternis cruciatibus adficiat. Quodsi enim diabolum amaret, quo nihil peius inueniri potest; bonitatis suae nullam haberet rationem. Immo vero, inquis. Nam bonus est diabolus, si eius non tam mores, quam naturam, vtpote a Deo, omnis boni fonte, profectam, spectes: nec quisquam diabolum metaphysice malum esse dixerit. Vix me contineo, quin rideam ineptias. Nonne meministi, quid dicatur bonum metaphysice? Scilicet quod habet indolem inesse sibi debitam. Hoc nomine peccatum quoque possis bonum appellare, quia ea est natura, quae ad peccatum requiritur. Ergone Deus amat peccatum? Pari ratione bonum metaphysice vocaueris diabolum, ea quippe praeditum natura atque indole, sine qua diabolus esse nequit. Ideone eum Numen optimum amauerit? Quam vellem, ne nugis istiusmodi doctrina sacra omnium ludibrio exponeretur!

§. IV.

At natura tamen, pergis, bonus est diabolus: vtpote ab ipso Deo conditus, a quo non potest proficisci malum. Quare fieri nequit, quin a Deo optimo ametur maximopere. Quid est, natura bonum? Nonne quod gaudet dotibus, ad finem suum obtinendum necessariis? Quem vero Deus finem angelis constituit, nisi vt tum se augerent gloria, tum felicitate ipsi fruerentur? Ad huncce consequendum finem, nullis, cum quidem crearentur, viribus carebant. Tum ergo boni, immo optimi, non minus, quam reliquae res conditae, ab ipso creatore vocari merebantur. *Gen. I, 31.* Quare fieri non poterat, quin mirifice a

Deo amarentur. Quis vero est, qui nesciat, non paucos angelorum, relicto Deo, miserrime corruptos esse? Totos enim malum ita penetrauit, vt separari, nisi absoluta vi diuina, nequeat. Nam quantus quantus est diabolus, obtenebratus, tumidus, flagitiosus, & refertus est nequitia. Inde fit, vt Deum non magis concelebrare, quam sibi felicitatem conciliare vel velit, vel possit. Hancce ergo dicere naturam bonam, quae fini plane repugnat, nonne est absurdum? Credin, Deum eos amaturum, qui ipso malo sunt peiores? Nonne potius eosdem aeternum habebit exsecrabiles?

§. V.

Spes autem, credo, supereſt ad saniorem mentem eos reuocandi. Dei ergo illis bonitas non deerit. Verum diuinae leges de impugnando precibus diabolo, Dei non minus quam hominum hoste, contrarium, ni fallor, euincunt luculenter. Neque enim simile est vero, Deum homines iubere, illorum quaerere interitum, quos vlla spes salutis manet. Iubeatne Deus, eos odio haberi, quos ipse amet? Finge vero, denuo obuertis, essentiam diaboli, abstractam a malitia eiusdem; nonne bonam illam dixeris? Re malo plenam: bonam cogitatione. Qui bonum diabolo affingis, aquam postulas a pumice. Haec, inquis, FLACII, ipsam hominis essentiam peccatum esse adserentis, sapiunt errorem. Erras. Primum enim FLACIVS non de angelorum, sed hominum differit essentia; deinde ipsam essentiam peccatum dicit. Nos vero licet essentiam diaboli eo abundare malo statuamus, quo numquam, nisi absoluta vi diuina, liberari possit; ipsam tamen essentiam diaboli, a Deo ortam, minime peccatum dicimus; quamquam totam peccato inseparabili corruptam vere adseramus. Patet igitur ex dictis hactenus, diuinam bonitatem diabolorum non prohibere poenas infinitas.

§. VI.

§. VI.

Non magis potentia diuina, qua maior nulla datur, repugnat poenis infinitis. Quidni repugnet, inquis; siquidem vires Deum, iuuandi miseros, deficiant, si superetur stygiis sceleribus? Vndenam autem probas, ex poenis infinitis consequi, vt Deo vires desint, leuandi onere adflictos, vtque idem potentiae diaboli succumbat? Putasne iam euictum, omnem rem redire ad potentiam diuinam; quandoquidem Deus saluum cupiat diabolum? Etiam, inquis: sed vehementer erras. Lege, accipe, pondera, diiudica, quae ante, bonitatem Dei cum poenis damnatorum numquam finiendis contendentes, disputauimus, & aliter, vt spero, senties. Eam namque diaboli corruptionem esse, vt Deus eius misereri nequeat, abunde, ni fallor, demonstrauimus. Quae cum ita sint; ex poenis numquam finiendis nihil, quod diuinam minuat potentiam, consequitur. Etenim, quis ita ratiocinetur: Deus numquam finiturus poenas damnatorum omnia efficere non potest? Verum est, Deum non posse diabolum beare; indene sequitur absurdum? Minus, inquis, consummata est perfectio eiusdem, si nequit omnia efficere. Immo vero, eo magis consummata. Sunt enim, quae diuinae repugnant sanctitati, quibus faciendis si Deus supersedet, nonne perfectioni suae consulit egregie? Huc autem iure etiam retuleris diaboli a poenis liberationem, nec bonitati, nec sanctitati, nec veritati, nec iustitiae diuinae consentientem, & ipsae diaboli repugnantem indoli. A sana enim mente abhorrent angeli maligni; aeternis ideo subiiciendi cruciatibus; cum sapientiae diuinae non conueniat, illos ad frugem rapere obtorto collo, quos voluntatis instruxit libertate. Itaque male Deum imperfectionis arguis, quod nequeat calamitatem diaboli finire; cum illud haud extrema pars perfectionis Dei sit existimanda.

§. VII.

§. VII.

Sequitur, vt de iuſtitia diuina, quam poenis numquam finiendis opponit GERHARDVS, diſpiciamus; deinde vbi ad ſcripturae ſacrae dicta, quibus ſuam ἀποκατάϛασιν GERHARDVS ſuperſtruxit, conſideranda peruenerimus, ad Dei veritatem animaduerſuri. Teſtantur ſacrae litterae ſimpliciter, quod *ſectione I. & II.* demonſtrauimus, certo conſtitutum eſſe Numini ſanctiſſimo, de angelis non minus quam hominibus iniquis poenas ſumere grauiſſimas nec vmquam deſituras. Tu vero, lepidus homo, in ius vocare Deum non vereris; exemplo tuo confirmaturus, non raro ſapientiam a ſtultitia reprehendi. Nam lance tui iudicii ponderas diuina placita, an aequa ſint, nec ne, examinaturus. Quantae putas hos eſſe ne dicam dementiae, temeritatis certe, qui poſtulare iniuſtitiae non dubitant, quem vnum ſanctitatis fontem veneramur? Age vero, iudex, dic ſententiam, aequumne ſit, vt poenae numquam finiantur. Iniquum videtur, inquis. Cum enim repugnet bonitati & amori Dei, ex quo naſcuntur omnia diuina attributa, quae moralia vocari conſueuerunt; fieri nequit, eiusdem vt iuſtitiae probetur.

§. VIII.

Noli indigne ferre, ſi animi noſtri ſenſa exponamus libere. Dictorum Dei aequitas, iudiciique puritas, numquam vacillabit; ringente licet peruerſa ratione. Neque enim committet Deus, vt in damnatos quidquam ſtatuat acerbius, quam iubet vel iuſtitia vel bonitas abſolutiſſima. Peccatis namque poenae ita reſpondebunt, vt nemo poſſit conqueri iniuriam. Enimuero cum peccatorum, tum poenarum, ponderata magnitudine, non niſi iuſto iudicio vtetur Deus. Vici ergo, inquis. Nam magnitudine, finita crimina infinitis poenis vinci, quis eſt, qui neſciat? Videris mihi

mihi triumphum ante victoriam canere, eodemque, quo tantum non omnes homines, laborare morbo, vt peccati non satis perspicias grauitatem magnitudinemque. Quidni ego? ais. Accipe, quae dicam. Deumne veri perspicientia praecedis? Id quidem mihi, inquis, non arrogo. Ergo concedis, Deo peccati grauitatem, quo infinitae suae maiestati acerbe illuditur, magis, quam tibi, perspectam esse atque cognitam? Etiam, inquis. Quid? si Deus, vt supra euicimus, tanta esse iudicet peccata, quae sempiternas mereantur poenas; tune eius iudicio corruptam antepones rationem? Repugnat tamen, iterum obuertis, eiusmodi sententia diuinae bonitati, ex qua eiusdem proficiscitur iustitia. Damus, fluere iustitiam diuinam ex amore eius. Hunc autem poenas numquam finiendas suadere potius quam impugnare, satis videmur nobis supra demonstrasse. Quare non est, quod immoremur his diutius.

§. IX.

Progredimur potius ad alterum GERHARDI argumentum, quo male cum perfectione mundi conuenire poenis infinitis, euincere conatur. §. *37.--61.* Cum enim ex poenis infinitis consequatur, vt nec homines nec angeli damnati fine potiantur, ad quem a Deo fuerint creati; quandoquidem nec Deum laudibus concelebrent, nec ipsi felicitate vlla perfruantur: non magis huncce mundum perfectum posse iudicari, quam opus aliquod egregium, quod magnus quidam moliatur artifex, nec tamen vmquam perducere ad finem possit. Non esse dubitandum, quin mundus malo vacuus perfectione eum longe antecedat, quem malum ita occupauerit, vt numquam inde, obnixe licet adnitente summo Numine, exstirpari queat. §. *41.--58.* Quodsi vero concedamus, mundum non modo imperfectum esse, sed & fieri non posse, vt a Deo vmquam absoluatur ac conficiatur:

non minus Deum imperfectionis argui, quam quemlibet artificem, in opere perficiendo frustra desudantem. Quod cum tam a ratione, quam scriptura sacra alienum sit; §. *37--40.* reliquum esse, vt mali, hinc & poenarum finem statuamus §. *59.--61.*

§. X.

Quo maiori gaudet hocce argumentum specie; eo minori, si pensitetur adcuratius, pollet pondere. Cum mundum malo inquinatum iure imperfectum dici concedamus; ex eo res videtur pendere, an, si mundus sempiterno malo occupetur, idcirco Deus imperfectionis incusari queat. Vbi quidem inanem sumit operam GERHARDVS, dum vehementer allaborat, vt nobis, reluctante licet veritate, hoc persuadeat. Nam male Deum imperfectionis reum agit, ob mundum minus consummatum: cum ipse diffiteri nequeat, mundo a Deo condito non potuisse reperiri meliorem, §. *37--40.* Nihil sane ei deerat, quod vel ad Dei gloriam, vel ad felicitatem rerum creatarum faceret: vnde etiam ipsi Deo dicebatur optimus *Gen. 1, 31.* Qua ex re perspicitur, ea Deum esse sapientia, potentia, & sanctitate, vt mundum condere potuerit, quo vllus melior excogitari nequit. Quae cum ita sint, quis est qui Deum mundi corrupti caussam criminari audeat?

§. XI.

Tamen, inquis, laborat hicce mundus plurimis defectibus, qui Deo glorioso esse nequeunt, praesertim cum frustra eos tollere conetur. Ain vero? Quid si Deus culpae non sit proximus; vt iam concedere videris: idemne male tibi audiet? Qui potest, inquis, vacare culpa, qui libertate --. Quid velis iam intelligo: at idem mihi argumento est grauissimo, ad Deum nullam redundare culpam. Nam sapientiae diuinae erat consentaneum, res creatas ratione prae-

praeditas donare libertate voluntatis, deinde vero, an eadem recte vbi vellent, facere periculum. Vbi cum, relicto bono, plurimi deflecterent; eius non erat sapientiae, eosdem violenta manu iterum reducere; cum rationem ratione vincere, id demum sapientis sit. Nihil tamen Deus fecit reliqui, vt ad salutem reuocaret eos, qui saltem tenuem, ad sanitatem redeundi, spem ostenderent; ne suo quidem ipsius parcens filio, quin eum daret pro hominibus. Quando vero plurimi eius beneficium aspernarentur; eos non magis, quam malos angelos, in quibus nulla emendationis spes relinquebatur, voluit ad sanam mentem rapere. Neque tamen eorum peruersitatem impunitam sinit, ex ipsis eorum praue factis ad suam gloriam iustitiamque demonstrandam boni aliquid conficiens. Vide ergo, quam defectus mundi nihil euincant, quod obsit Dei infinitae perfectioni. Tibi vero caue, ne graues temeritatis tuae cogaris poenas dare, qui recta Dei iudicia reprehendere, eique agendorum omittendorumue leges ferre, non erubescis.

§. XII.

Tertio, quod adfert, argumento id GERHARDVS agit, vt, poenas sine fine duraturas analogiam fidei euertere, demonstret. Cum enim, qui sanam doctrinam profitentur, omnia diuina attributa, quae vocari assolent moralia, deriuent ex amore; atque ex eodem iustitiam diuinam, quae pios praemiis, poenis impios, in hoc saeculo iubeat affici, oriundam statuant; nec tamen concedant, Deum amore ductum poenas irrogare impiis aeternas, vt ad frugem redeuntes salute tandem potiantur: ipsos nexum soluere suorum placitorum. Quam male autem sibi constent orthodoxi; tam bene adfirmari posse, diuinas poenas ex amore fluere; cum suam creaturam Deus nequeat odisse. §. 66. 86.-88.

§. XIII.

Non satis autem videtur perpendisse GERHARDVS, quid sit doctrinae sacrae consentaneum. Quando enim diuina attributa, quae quidem moralia vocant, profecta ex amore Dei statuuntur; non nisi de amore, quo se amplectitur ipse Deus, hoc praecipue dici, omnibus adparet. Enimuero cum Deus in tantum quaeuis amet, in quantum promerentur diligi: non dubium est, quin eo vehementiori sui amore flagret, quo mirabiliori vtitur praestantia excellentiaque. Quo quidem amore ductus suae maiestati inimica longissime a se remota esse cupit: vnde eius moralia proficiscuntur attributa. Imponit ergo sibi GERHARDVS, dum Dei erga homines amorem iustitiae diuinae fontem esse nominatim adserit. Quamquam enim hicce amor, si quando vlla spes correctionis supersit, diuinas poenas comitetur: id tamen nequit, desperata emendatione, fieri. Tum enim magnitudine amoris sui ipsius, siue sanctitatis, qua omnem prauitatem vehementer odit, prohibetur Deus, quo minus eos sibi conciliet amore. Manet itaque analogia fidei inconcussa, nec poenis aeternum duraturis doctrinae sanae vinculum dissoluitur.

§. XIV.

Quarto argumento κατ' ἀνθρωπον disputat GERHARDVS, dissentientes suo ipsorum gladio iugulaturus. Cum enim, qui poenarum finem negant, in duas partes abeant; neutram sibi ipsi constare arbitratur. Illos enim, qui damnatos conuiciis aeternis Deum putent esse prosciturus, non minus armis suis confici, quam hos, qui eosdem peccatis intermissis Deum laudaturos fingant. Etenim cum illi recte adserant, iuuare Deum omnes rerum creatarum motus: concedere eosdem illos oportere, Deum optimum maximum adeo oblitum esse suae sanctitatis, vt vires praestet angelis

gelis hominibusque, ad crimina nefanda tamdiu agitanda, donec in aethere pascantur cerui. §. *89. 90.* Qui autem damnatos aeternis cruciatibus exanimatum iri statuant; quantumuis exuti peccatis laude Deum merita concelebrent; eos fingere crudeliorem Deum, quam vllus vmquam fuerit tyrannus; hoc ipso saniora sua placita labefactantes atque oppugnantes. Vtram ergo partem orthodoxorum eligas, poenas infinitas analogiae repugnare.

§. XV.

Recte se habent, quae adfert GERHARDVS. Itane? Quod res est, dicam. Cum male damnati conuiciis aeternis calumniisque lacessituri Deum adseruntur: tum peius iidem peccatis liberati diuinas laudes creduntur decantare. Quemadmodum enim illud diuinae non minus sanctitati quam sapientiae esset inimicum: ita hoc damnationis naturam funditus euerteret. Quodsi enim peccato vacuus Deum amore iusto veneratur; quod nemo temere negauerit; quodsi, qui Deum amat, eidem summum exhibens honorem, eum beatum iure adpellaueris: damnatos non immerito beatos dixeris; vtpote amore perfruentes summo bono. Quod quid est, nisi propositionum pugna? Ergone vici, inquis? Non: mea saltem opinione. Nam alia est ratio. Quaenam? Eam diuinum Numen in flagitiosis puniendis iustitiam praestabit, vt nemo possit conqueri iniuriam. Cum ergo iustissimas, quibus adficiantur, poenas esse omnes probe intelligent: tum in Christi, a Deo summopere elati, & nomine nominum omnium summo donati, redacti potestatem, eumdem iustum esse dominum, flexis genibus, cum timore & tremore confitebuntur *Phil. II, 9. 10. 11.* Quod quoniam Dei nec sanctitatem nec sapientiam euertit, & luculenter eius iustitiam demonstrat: duratio poe-

narum infinita, diuinioris veritatis analogia confirmatur potius, tantum abeſt, vt labefactetur.

§. XVI.

Denique nec id GERHARDVS praetermittit, ἀποκατάστασιν durationi poenarum infinitae vel eo praeferendam eſſe nomine, quod ſoluendis Manichaeorum de origine mali dubiis mire inſeruiat. Cruces enim peſſimas damnationis infinitae patronorum, quas eis Manichaei, peruerſa nixi ratione, creent, nullo plane negotio frangi poſſe, ſi finem poenarum aeternarum ſtatuamus, probare multis ſatagit exemplis §. *105--124*. Oportet ergo, exponamus, quid nobis videatur. Acutiſſima non minus, quam ſpecioſa argumenta, ad faciendam fidem duplici principio independenti, Manichaeos ex origine mali deriuaſſe, nemo temere ignorat. Non magis quemquam fugit, noſtra tempeſtate Manichaeorum cauſſam acerrime egiſſe PETRVM BATLIVM, eo nomine adductis eorum argumentis, vt, ea ex ratione poſſe dilui, negaret. Hic, quamquam facile conceſſero, (verbis vtor S. R. PRAESIDIS, *) *grauiſſimas difficultates, quae doctrinam de origine mali, eiusque cum iuſtitia & bonitate diuina conciliatione, premunt, facilius ſuperari poſſe, ſi finis poenarum infernalium ſtatuatur:* tamen inde male colligi exiſtimo, confugiendum eſſe ad apocataſtaſin vniuerſalem. Cum enim largimur, facilius Manichaeorum argumenta ex ratione labefactari, ſi finem poenarum infernalium fingamus: tum minime concedimus, vel rationem viribus deſtitui, commenta hominum male ſanorum proſternendi, niſi vtamur aſylo apocataſtaſeos; vel ſacrae ſcripturae deeſſe argumenta, quibus iisdem abunde ſatisfiat.

§. XVII.

* Vid. *inſtitut. theol. dogm. lib. II. cap. III. §. XVII. p. 493.*

§. XVII.

Enimuero, si nitamur ratione, eiusque sana placita sequamur: non minus Manichaeorum, quae fluunt ex origine mali, dubia destruere, quam infinitam poenarum infernalium durationem adstruere possumus. Cuius si facere periculum vellemus; omnia, quae hic GERHARDVS conuasauit, considerando dubia ostenderemus, non deesse rationi rationes, reiecta licet apocatastasi, quibus illa dubia priuentur omni robore. Cum vero & institutum breuitatem suadeat, & viri longe doctissimi dudum hoc confecerint negotium: non committemus, vt nostra abutamur qualicumque opera. Cum autem ne rationi quidem desint, quae regerat ad dubia Manichaeorum: num adeo exsangues putas sacras litteras, quae speciosis eorumdem hominum succumbant argumentis? Nonne omnes felicissime difficultates superaueris, si ad ea probe animaduertas, quae de creatione mundi, de voluntatis libertate, de hominum lapsu, de perfectione Dei, de diuina prouidentia deque aliis, iis quidem longe grauissimis, doctrinae sacrae capitibus, scriptura condocet? Quae omnia qui rite ponderauerit, is demum perspiciet, plurimis adsertores damnationis infinitae abundare rationibus, ex sacris litteris petitis, quibus retundant Manichaeam improbitatem.

§. XVIII.

Quid denique ex eo lucratur GERHARDVS, si obtinuerit, facilius ex ratione dilui Manichaeorum dubia, admissa apocatastasi? Indene sequitur, futuram esse apocatastasin? Fuit nonnemo, qui occursurus BATLIO, adserere non dubitaret, requiri malum ad perfectionem mundi. Mireris ineptias, non minus sanae rationi, quam scripturae sacrae inimicas. Docet enim ratio, non potuisse fieri, quin Deus mundum conditurus sibi constitueret, & suam gloriam manifestare,

nifestare, & res creatas, si quae essent idoneae, felicitate donare. Quem finem cum malum euertat: qui potest id requiri ad perfectionem mundi? quae in eo consistit, vt fini nihil non respondeat. Scriptura autem sacra valde abominandum atque exsecrabile peccatum dicit: quandoquidem & Deum gloria spoliet, & mundum deuotioni subiiciat, & reddat homines infelicissimos. Itaque ipse GERHARDVS diffiteri nequit, malum a perfecto mundo tantum abesse, vt eum vel maxime imperfectum faciat. §. *41--46.* Finge vero, LEIBNITIO persuasum esse, breuiori hacce via Manichaeis facilius occurri: ideone GERHARDVS verum esse credet, requiri malum ad perfectionem mundi? Ipse tamen ea ratione apocatastasin probare nullus dubitat, quod aptior sit Manichaeis refutandis, quam infinitae poenae.

§. XIX.

Pergimus vero ad ea argumenta, quae quidem GERHARDVS sacris litteris extorsit. Quo magis enim de iis gloriatur; eo minus eis curatius considerandis supersedere possumus. Neque tamen committemus, vt diluendis omnibus ludamus operam; ipso GERHARDO hoc fieri vetante. Cum enim ad duas classes reuocarit argumenta, quibus labantem apocatastasin confirmare solent: de priori tantum iubet esse sollicitos, qui impugnare sibi sumant apocatastasin. Nam etsi argumenta, reiecta in posteriorem classem, non omnino nullius existimet momenti: tamen sibi constitutum profitetur, cum nemine de iis contendere; quandoquidem non desint, quae hic excipiantur. Quae autem priori continentur classe scripturae sacrae dicta, de iis tantum confidit, vt caussa velit cadere, si illa sibi eripiantur; siquidem exsertis illorum verbis apocatastasis probetur; quae si neglexisse conuincatur, se victas dare manus non recusaturum.

rum. §. 430. p. 351. Itaque dispiciemus, an talia sint argumenta, qualia ea GERHARDVS iudicauit cognita.

§. XX.

Primum quidem argumentum GERHARDVS eruit ex verbis Pauli *Rom. V, 19.* ὥσπερ γὰρ διὰ τῆς παρακοῆς τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν οἱ πολλοὶ, οὕτω καὶ διὰ τῆς ὑπακοῆς τοῦ ἑνὸς δίκαιοι κατασταθήσονται οἱ πολλοί· *Sicut igitur per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi; ita per vnius obedientiam iusti constituentur multi.* Cum enim probasset, de eo hic sermonem esse, quemadmodum iustitiae, a Christo partae, participes reddamur: τοὺς πολλοὺς δικαίους κατασταθησομένους non minus omnes indicare homines, quam τοὺς πολλοὺς ἁμαρτωλοὺς καταστάντες, non dubitat adserere. Cumque euictum putet, non omnes homines in hocce saeculo Christi iustitia indui: vocem κατασταθήσονται ad saeculum futurum reuocandam censet. Atque inde colligit, non posse reiici apocatastasin: cum Paulus fore adserat, vt omnes olim homines efficiantur iusti. Conf. §. 431. *seq.*

§. XXI.

Credasne GERHARDVM adeo immemorem promissi, vt ne primo quidem loco eidem satisfaciat? Nonne hic recedit, quod tamen negauit se facturum, a prima significatione vocum? Proprie πολλοὺς significare *omnes*, quis est, qui dicat? Vicisse debeo, GERHARDI si appareant promissa. De iure tamen cedam, rem consideraturus. Cur tandem πολλοὺς δικαίους κατασταθησομένους *omnes* adserit GERHARDVS? Non aliam certe ob caussam, nisi vt inde apocatastasin conficiat. Profert tamen aliam, nimirum sermonis contextum & continuationem. Cum enim πολλοὶ καταστάντες ἁμαρτωλοὶ intelligantur *omnes*; non posse fieri,

quin etiam πολλοὶ καταστηθησόμενοι δίκαιοι dicantur *omnes*. Male sibi consulit GERHARDVS, quod memorat sermonis contextum & continuationem; vtpote non minus nos iuuantem, quam ipsi repugnantem. Nam Paulus Christum cum Adamo collaturus, ab illo non minus omnibus salutem, quem ab hoc perniciem paratam esse, vel ipso GERHARDO concedente, *vers. 18.* adseuerat. Hoc vero Christi meritum vlterius contendit cum delicto Adami, de illo vere obtinendo differens *vers. 19.* vt idem GERHARDVS confitetur. Hic cur Paulus voce πόλλων, relicta πάντων, vtitur; nisi vt ostendat, non tam *omnes*, quam *multos*, Christi merito potiri? Data certe opera sic Paulus loquitur, vt primum *omnibus* iustitiam partam, *multis* deinde adplicandam & adcommodandam diceret.

§. XXII.

Quid ergo est, cur deserat GERHARDVS significationem vocis πολλῶν? Iubet, inquit, articulus οἱ, vt vertamus, οἱ πολλοὶ, *multi illi*, quos fontes effecit contumacia Adami, efficientur iusti. Scilicet ἀποκατάστασις, quam inde cupit exsculpere, eum ita iubet vertere. Nec enim ignorat, ex linguae graecae genio, voci alii praefixum articulum vt plurimum iuuare tantum eius casum, nec propria gaudere notione. Nihil ergo est, praeter apocatastasin, quo GERHARDVS moueatur, vt vsum minus ordinarium articuli arripiat. Quodsi vero πολλοὶ δίκαιοι καταστηθησόμενοι non tam *omnes* quam *multi*, sunt dicendi: sequitur, vt vocem καταστηθήσονται ad saeculum futurum male reuocet. Vere enim Paulus dicere potuit, *iusti efficientur multi;* cum ex eo, quo loquebatur, tempore, ad finem vsque saeculi, multi omnino sint, qui Christo obedientem aurem praebeant. Nihil ergo opus est, vt hic apocatastasin vniuersalem intelligamus.

§. XXIII.

§. XXIII.

Alterum, quod GERHARDVS iactat, dictum reperitur *Col. I, 19. 20.* ὅτι ἐν αὐτῷ εὐδόκησε πᾶν τὸ πλήρωμα κατοικήσαι· καὶ δι' αὐτοῦ ἀποκαταλλάξαι τὰ πάντα εἰς αὐτόν. εἰρηνοποιήσας διὰ τοῦ αἵματος τοῦ σταυροῦ αὐτοῦ, δι' αὐτοῦ, εἴτε τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, εἴτε τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. *Quoniam libuit patri, vt omnis plenitudo in eo habitaret: & vt pace per sanguinem crucis eius facta, per eam reconciliaret omnia sibi, per eum*, inquam, *tum quae in terris tum quae in caelis.* Huic adiungit, *Eph. I, 22;* καὶ πάντα ὑπέταξεν ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ· καὶ αὐτὸν ἔδωκε κεφαλὴν ὑπὲρ πάντα τῇ ἐκκλησίᾳ. *Et omnia subiecit eius pedibus, eumque constituit caput supra omnia* ipsi *ecclesiae.* Vtroque loco apocatastasin malorum angelorum conatur communire. Quando enim diabolum inter τὰ πάντα, quae Deo per Christum reconcilientur, referendum esse, planissimum existimat: valde iis irascitur, qui, diaboli apocatastasin inde sequi, negant. Conf. §. *515. seq.* Cum vero ex veritate rem considerare constituerimus: rogamus virum clarissimum vt eius pace nobis liceat apertis esse.

§. XXIV.

Primum quidem non immerito miramur, qui vir ingenio non destitutus in eam concedere sententiam potuerit, per τὰ πάντα τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς intelligendos esse malos genios. Quamquam enim non negauerimus, scripturam sacram multos caelos memorare, quorum naturam non satis perspectam habeamus: tamen, in eis diabolum sedere, valde nobis dubium, ne dicam falsum, videtur. Cum enim Deus caelos dicatur habitare *Matth. VI, 9.* credasne ei cum diabolo intercedere commercium? Nonne Iudas diserte dicit, *angelos malos suum domicilium reliquisse, seruandos ideo sub tenebris ad magni diei iudicium aeternis vinculis; ep. vers. 6.* Possisne credere, caelos

habitare diabolos, cum Petrus dicat: *Deum angelis, qui, peccauerint, non pepercisse, sed in tartarum detrusos caliginis tenebris tradidisse, damnationi seruatos II. ep. II, 4.*

§. XXV.

Finge vero diabolum caelicolam: ideone seruatori Christo salutem aeternam debet? O caput, inquis, male sanum, negauerisne omnia, quae caelum continet, Deo reconciliata? Ego vero scire velim, vtrum, quae terra alit, omnia eadem ratione seruatoris opera diuinam consequantur gratiam? In peius ruis, qui dubites de re clarissima, ais. Ergone etiam, quae ratione carent, animantia? Quantus, quantus es, ineptus es, inquis. Mihi vero ineptire liceat, qui non ignorem, omnem terram ob peccata deuotam esse, deinde Christum omnia, quae terram incolunt, Deo reconciliasse, denique nec genio maligno diuinam gratiam abiudicari, quoniam, cum omnia, quae caelum capit, dicantur Deo reconciliata, excipere eumdem nefas sit. Insanis, rursus subiiciis, qui Christum putes, bestiarum sospitatorem. Mihi quidem ipse insanire videor: at eius mihi auctor exstitisti, qui vocem *omnia* ad solos homines, omissis bestiis, spectare perhibeas, eadem tamen & diabolum intelligens. Hic vero, pergis, excludi nequit; cum omnia, quae sunt in caelis, dicantur Deo reconciliata. Nonne ego eadem vtor ratione? nonne &, quae terras habitant, omnia reconciliauit Christus Deo? Si regeris, probandum esse, ad bestias hoc pertinere; ego, eodem iure vsus, a te euinci postulauero, diabolum gratiae diuinae, a Christo partae, non expertem esse. Non magis enim probabile est, egisse Christum malorum geniorum caussam, quam eum laborasse in bestiis beandis. Neque vero spero fore, vt dicto, quo de agimus, sententiam tuam confirmes; quandoquidem rapiendo, quod negant dissentientes, te vitio, cuius alios numquam

quam non incusas, proximum ostenderes. Alium vero locum frustra quaeres, vbi diabolus dicatur Deo reconciliatus.

§. XXVI.

Ridet quidem hocce dubium GERHARDVS; inde tamen expediri nescit. Etenim luctatus multum, tandem ei succumbit, non male dici, putans, Deo reconciliatas esse bestias; si modo id recte explicetur. Nimirum reconciliari Deo dici bestias, qui Christo omnium capiti subiiciantur, quemadmodum & *Eph. 1, 21.* idem exponatur. Conf. §. *529.* Dabimus GERHARDO; quae tamen censuram promerentur. Eumdem vero illum rogamus, vt nobis largiatur, diabolum eadem ratione conciliari Deo. Quod si renuit; explicationi eius, cui ipse diffidit, non stabimus. Sin aequum se praebeat; caussae quidem suae male consulet. Nam concedimus diabolum subiectum Christi pedibus, in huius potestate fore; quiquidem vel inuitos sceptro ferreo regere poterit. Inde vero nemo vmquam apocatastasin conficiet. Haec sine dubio perspiciens GERHARDVS adserit, dubio eiusmodi non expugnari veritatem, licet id nequeamus soluere. Quae an sufficiat responsio, lectoris sit iudicium.

§. XXVII.

Quodsi vero eo te recipias, vt reconciliari Deo idem esse velis, atque amissam gratiam recuperare: diabolum quidem Deo reconciliatum eo minus concessero, quo magis hoc scripturae sacrae aduersatur. Quod si tibi demonstrauerim: sensum haud dubie falsum extorsisti diuinae, qua de agimus, sententiae. Si enim sacrae litterae Deo originem debent, & omnibus humanis scriptis longe sunt praestantiores: tanto magis absunt ab eo vitio, vt sibi minus constent; quanto hoc ab omni perfectione longius recedit. Christus

quidem vnicus dicitur Dei atque hominum μεσίτης, *I. Tim. II, 5.* Vnde vero demonstraueris, eidem interceſſoris inter Deum atque malos angelos deberi partes? Nonne Christus ideo vel maxime homo natus est, qui serpenti diabolo caput contereret? *Gen. III, 15.* Qui potest fieri, vt Christus, quem inter & serpentis semen Deus ipse posuit inimicitiam, *Gen. III, 14.* diaboli exsistat sospitator? Putasne potuisse contingere, vt Christus, naturae, vt supra euicimus, angelorum expers, iisdem Dei gratiam conciliaret, qui ne homines quidem, nisi indutus eorum natura, adserere potuerit in beatitatem? Si Deus diabolo infensus non tantum aeternum ignem parauit, sed & homines iubet eumdem hostem odisse atque impugnare; quod quidem supra ostendimus & vel ex *Eph. VI, 12. seq.* constat: diabolus Deo reconciliatus dici nequit. Reiicienda ergo merito GERHARDI explicatio, quippe aliis scripturae sacrae dictis valde inimica.

§. XXVIII.

GERHARDVS quidem sermonis nexum in suam rem conatur vertere, diabolum *vers. 20.* non minus quam *versicul. 16.* τοῖς πᾶσι indicari, putans. Qui vero cuncta iusta lance ponderauerit: contextum eo magis apocatastasin deserere, quo nostram luculentius confirmet mentem, deprehendet. Paulum, in praedicanda Christi excellentia, *Col. I, 14.--22.* versantem, non tantum de persona Christi *v. 15.* sed & de eiusdem praeclare factis, tum in regno naturae, *v. 16. 17.* tum in regno gratiae, *v. 18.--22.* exponere, ipsa nimirum lectio dubitare finit neminem. Cum enim personam Christi hisce descripsisset verbis: *transtulit nos in regnum filii sui dilecti, qui est imago Dei inuisibilis, & primogenitus omnis rei conditae:* eius facinora in regno naturae ita laudat: *nam per eum condita sunt omnia, quae in caelis*

lis sunt, & quae in terra, visibilia, & inuisibilia, siue throni, siue dominia, siue imperia, siue potestates, omnia, inquam, *per eum, & eius respectu condita sunt: estque ipse ante omnia, & omnia per eum consistunt.* Accedens tum ad eius opera in regno gratiae non tantum generatim dicit: *estque caput corporis*, id est, *ecclesiae, estque* etiam *principium, & primogenitus ex mortuis, & inter omnes primas tenet;* sed & speciatim eum laudat, quod & iram Dei pressserit, *v. 20.* & homines ad saniorem mentem perduxerit *v. 21.* & in eis sanctis efficiendis nullo labori parcat *v. 22. seq.* Hic velim consideres, alia *v. 16.* alia *v. 20.* a Paulo proponi. Quamquam itaque, vbi *v. 16.* omnia a Christo condita dicuntur, diabolus excludi nequeat: inde tamen non sequitur, vt *v. 20.* idem sit intelligendus, vbi omnia per Christum Deo dicuntur reconciliata. Cum enim creationem Christi Paulus *v. 16.* memorasset; ad alia plane transit, quae Christus hominibus praestiterit. Idque non tantum ex eo constat, quod Paulus *v. 18.* de ecclesia loquitur, sed & ex inferioribus verbis: *itaque* vos, *cum essetis quondam abalienati, & hostes, mente operibus malis intenta, nunc sane reconciliauit.* Cum ergo nulla hic fiat diabolorum mentio, & omnis contextus GERHARDVM arguat erroris: vera esse nequit eius explicatio.

§. XXIX.

Tertium, quo vtitur GERHARDVS, dictum legitur *Es. XXIV, 21. 22.* והיה ביום ההוא יפקד יהוה על־צבא המרום במרום ועל מלכי האדמה על־האדמה׃ ואספו אסיר על־בור וסגרו על־מסגר ומרב ימים יפקדו׃ *Et erit tempore illo, animaduertente Iehoua in exercitum excelsi cuiusque cum ipso excelso; & in omnes reges terrae cum terra ipsorum: vt colligantur collecti, vincti in foueam*

& oc.

& occludantur in clauſtro, & poſt multos dies deſiderentur. Non equidem ignoro, ipſum iam ORIGENEM ad euincendam apocataſtaſin diabolorum arripuiſſe haecce verba; vt HATMO * non minus quam HIERONTMVS** teſtatur: eadem tamen non magis ORIGENIS quam GERHARDI, ſententiam confirmare, exploratum habeo. Quodſi enim & ſuperiorem & inferiorem ſcripturam conſideremus, & ad loquentis ſcopum animaduertamus: tantum huic dicto intereſſe apocataſtaſin vniuerſalem intelligemus, quantum caelo terram, luci tenebras, inania commenta veritati. Enimuero cum capite viceſimo quarto id agat Eſaias, vt de terra, vrbe, & populo exponat, quos primum grauis Dei vindicta, tum vero ſingularis maneat gratia: id quidem mouet ſcrupulum, & abripit doctorum animos in varias ſententias, quod nominatim non deſignat, de quibus ſibi animus ſit dicere: nec tamen, quae adferuntur, nos vlla ratione dubitare ſinunt, de terra Iudaica, iſtique affini regione, ſanctiſſimo vati hic cumprimis ſermonem eſſe. Etenim cum hactenus varias iuſti Dei iudicia experturas commemoraſſet gentes, & *cap. XIII. & XIV.* Babylonem, *cap. XV.* Philiſtaeos, *cap. XVI.* Moabitas, *cap. XVII.* Damaſcum, *cap. XVIII. & XX.* Aethiopiam, *cap. XIX. & XX.* Aegyptum, *cap. XXI.* iterum Babylonem, *cap. XXII.* vallem viſionis, *cap. XXIII.* Tyrum arguiſſet: *cap. XXIV.* accedit denuo ad terram Iudaeam, huic non minus, quam finitimis regionibus,& vindictae grauitatem,& gratiae olim obtinendae magnitudinem oſtendens; vt pluribus euincit SEBASTIANVS SCHMIDIVS,*** vir ſcrutandarum ſacrarum litterarum

* in *commentar.* ad *h. l.*
** in *commentar.* ad *h. l.*
*** in *commentario ſuper illuſtres prophetias Eſaiae p. 207. ſeq.*

rum callentissimus. „Fieri enim non posse, autumat,„ quin intelligatur Iudaea terra, in qua sint proprie sic dicti„ sacerdotes, *v. 2. 3.* quae olim sanctificata, nunc profanata„ sit, *v. 5.* quae habeat foedus cum Deo perpetuum, item„ que leges & statuta, *v. 5.* cuius metropolis in scriptura de„ cantata κατ' ἐξοχὴν vocetur vrbs, *v. 13.* & propter apostasiam vrbs vanitatis appelletur, *v. 10.* denique in cuius visi„ tatione regnet dominus in Zion & Hierosolymis, *v. 23.*„ Quae quidem ita sunt in promtu, vt nullo nomine negari queant.

§. XXX.

Omni ergo Esaiae sermone ad Iudaeos eisque finitimas spectante nationes: male huc diabolum a GERHARDO euocari, nemo non intelligit. Mouet quidem omnem lapidem GERHARDVS, vt aliis persuadeat, *exercitum excelsi* malos indicare genios, quibus singularis promittatur gratia. Cum enim scriptura sacra diabolum dicat *mundi huius principem, Ioh. XII, 31. deum huius saeculi, II. Cor. IV, 4. spirituales improbitates in sublimi, Eph. VI, 12. exercitum excelsi* eo magis de angelis malignis exponendum putat, quo minus in alia obiecta quadret. Conf. §. *554. p. 443.* item §. *546. seq.* Mihi vero etsi nulla plane videtur argumenti huius grauitas; facere tamen nequeo, quin illud adcuratius excutiam. Quodsi enim demonstrauero, sententiam GERHARDI, de malis geniis hoc loco intelligendis, omni non tantum carere fundamento, sed & contextui sermonis repugnare: nemo, puto, erit, qui tantum huic dicto in adserenda apocatastasi statuat pretium, quantum GERHARDVS ei cupit statui, dum, male quidem suis rebus consulens, inter praecipua, quibus omne negotium conficiatur, apocatastaseos fundamenta illud collocare nullus dubitauit. Primum quidem nemo temere negauerit, male subducere eum rationes, qui hoc vtatur argu-

mento: diabolus vocatur princeps in sublimi, aliaque huius generis nomina in sacris litteris sortitur: exercitus ergo excelsi, cuius Esaias meminit, non nisi diabolum designat. Nam haec si obtinuerit argumentandi ratio, quidlibet ex quolibet nullo effeceris negotio. Quid, si quis eadem probationis ratione vsus, non tam malos, quam bonos angelos, vtpote in sacra scriptura saepius *exercituum caelestium* nomine venientes, *Luc. II, 13. I. Reg. XXII, 19.* designari putet: tune eius adserta probaueris? Minime, inquis; cum hoc sermoni omni aduersetur. Tuum vero placitum cum aeque in sermonis contextum peccet; quod supra demonstrauimus: nonne eodem iure reiicitur? Nego, ais, nullo, nisi malis angelis, obiecto conuenire titulum exercitus excelsi, persuasus. §. *546. seq.* Quodsi vero tota orationis series ad Iudaeos, eisque gentes finitimas pertineat; vt supra ostendimus: idemne tu negabis, verba haecce eis conuenire? *Exercitus*, inquis, *excelsi*, Ebraeorum loquendi more, exercitum designat maximum & copiosissimum, idque auctoritate GLASSII* confirmas §. *554. p. 444.* Iudaeorum autem multitudo cum exercitus maximus non mereatur dici; siquidem vocetur populus populorum omnium pauciss imus, *Deut. VII, 7.* eosdem nulla ratione exercitus excelsi nomine insigniri posse, autumas. § *554. p. 444.* Quemadmodum vero tibi facile concessero, *exercitum excelsi* more Ebraeorum dici robustissimum copiosissimumque exercitum; ita Israëlitis hoc nomen iure denegari, id quidem longissime a veritate arbitror remotum. Quos enim Deus vocat *gentem magnam Gen. XI, 34.* ipsasque stellas numero aequantem *Gen. XV, 5. XXVI, 4.* eos tu negabis recte vocari numerosissimum exercitum? Scilicet, quidquid obstat tuae apocatastasi;

* *gramm. sacr. p. m. 110.*

taſtaſi; id putas credere abſurdum, Deo licet illud adſerente. At dicitur, pergis, *pauciſſimus populorum omnium.* Quid inde? Nonne perlecto toto *verſiculo ſeptimo Deut. VII.* patet, conferri omnes populos cum Iudaeis? *Non eo*, inquit Moſes, *quod plures eſſetis omnibus reliquis populis, amore propendit Iehoua in vos ac ſelegit vos, cet.* Concedit ergo Moſes, Iudaeos reliquis populis ſimul ſumtis pauciores eſſe; inde vero adeo non ſequitur, eos in ſe ſpectatos numeroſiſſimum non fuiſſe populum, vt litterarum ſacrarum expers videatur, qui hoc negare in animum induxerit. Iam lectoris ſit iudicium, vtrum GERHARDI, ſermonis interuertens ſeriem, an noſtra ſententia, tam rei, quam contextui, apprime conueniens, ſit praeferenda? Non dubito, fore pleroſque, qui, quam lubrico nitantur fundamento GERHARDI placita, ex dictis hactenus perſpiciant. Quodſi vero planum eſt, non tam diabolos, quam Iudaeos, hiſce memorari verbis: quilibet perſpicit, quaecumque adſerit GERHARDVS, vt inde ſuam apocataſtaſin conficiat, in fumum abire: vnde iis refutandis tempus fallere ſuperuacaneum exiſtimo.

§. XXXI.

Duo GERHARDVS primae claſſi adiungit argumenta §. *601. p. 478.* quibus plurimum confidit, quorum alterum analogiae circulum turbet, alterum conuerſum iri Sodomam euincat. Quorum vtrumque cum eos refutare iubeat, qui ſecum deſcendere in arenam audeant: noſtris defuiſſe partibus putaremur merito, ſi iis praetermiſſis iactantiae GERHARDI videremur veritatem dedere. Quod ergo attinet ad dictum de conuerſione Sodomae; id quidem ex Ezechiele GERHARDVS petit, qui *cap. XVI. verſ. 55.* dicit: *ſi ſorores tuae, Sodom, & filiae eius reuertentur ad*

pristinum statum suum, & Schomeron ac filiae eius reuertentur ad pristinum statum suum: tu quoque & filiae tuae reuertemini ad pristinum statum vestrum. Quae verba cum ad Sodomam, ob peccatorum & magnitudinem & multitudinem misere, priusquam animum correxisset pessimum, desolatam; *Gen. XIX.* GERHARDVS retulisset: eamdem, olim ad saniorem mentem redeuntem, beatitatem consequuturam, inde colligit. §. *339. p. 293.* Vt ergo ex eo pendet omne argumenti pondus, an Sodoma, absorpta dudum *Gen. XIX.* hic intelligenda sit; ita totam contemplari orationis seriem, non inconsultum arbitramur. Vbi si demonstrauerimus, non tam de vita futura, quam de noui foederis felicitate, Ezechieli hic sermonem esse: inde nec Sodomae, quae olim periit, conuersionem, nec apocatastasin vniuersalem, poteris conficere. Quodsi enim, Sodomam, igne olim deuastatam, ad statum suum pristinum credis reuersuram; cum tamen sanctissimus vates, de hac conuersione exponens, non tam futurum, quam praesens saeculum singulari Christi gratia amplificandum dicat: sequitur, vt vel iidem illi homines, quos dudum diuina ira exstirpauit, priusquam surgant ad iudicium extremum, a poenis liberentur, in lucem reuocentur, & gratia diuina augeantur; vel sano sensu careant diuini vatis verba, quae Sodomam adfirmant reuersuram; vel Sodoma improprie sic dicta hic intelligatur. Cum autem GERHARDVS ipse in hacce vita Sodomam ad statum suum reuersuram esse, neget §. *334. p. 289.* §. *339. p. 293.* nec iis, vt spero, accedat, qui, verbis his deesse sensum, putant; reliquum est, vt Sodomam intelligas, ab ea, quae memoratur *Gen. XIX.* diuersam illam quidem, eam tamen ipsam impietate aequantem, ideoque merito Sodomae nomen sortitam. Hic quamquam neges, haec verba a futuro saeculo remota, &

ad

ad oeconomiam noui foederis referenda esse; non tamen dubito, quin mihi concedas, si antecedens non minus quam consequens scriptura idem euincat. Quare in eis considerandis non inutilem, vt spero, operam ponemus.

§. XXXII.

Si totum Ezechielis *caput XVI.* curatius legamus, Deum Iudaeos habitu mulieris, siue expositae puellae, foedae atque miserae inducere, perspiciemus. Eam vero ita describi, vt primum ingentia in eam collata beneficia commemoret, *v. 2.--14.* tum mentem eius ingratissimam, flagitiosissimamque vitam conqueratur, *v. 15.--39.* deinde ei, Cananaeos, Sodomitas & Samaritanos nequitia superanti, grauissimas minetur poenas, *v. 40.--52.* denique promittat gratiam peccatorumque veniam *v. 53--63.* lectio nimirum omnes condocere potest. Hic primam atque alteram partem huius capitis, quae de beneficiis diuinis in Iudaeos, horumque ingratissimo exponunt animo, non sapere futurum saeculum, omnibus, ni fallor, est perspicuum. Non magis partem tertiam, quae diuinas poenas, earumue causas narrat, spectare ad futurum saeculum, vel ipsa inspectio dubitare finit neminem. Quis enim verba *v. 40. 41. Deinde adducentes contra te congregationem, obruent te lapidibus, & transfigent te gladiis suis; postea comburent domos tuas igne, cet.* ad futurum referat aeuum? Quis vero *versiculos 45.--52.* eodem trahat; cum in iis peccata Iudaeorum iam facta memorentur? Denique nec quarta pars, quae gratiam sperare eos iubet, quorum miserrima conditio ex *v. 40.--52.* patet, ad saeculum futurum rapi potest. Eam enim ad oeconomiam noui foederis spectare, luculenter patet ex *v. 59. & 60. vicissim faciam tibi, quemadmodum feciſti -- irritum faciendo foedus.* Verum-

rumtamen recordatus ego foederis mei, tecum initi temporibus pueritiae tuae, praestabo tibi foedus perpetuum. Foedus enim irritum, vetus, perpetuum vero, nouum testamentum indicare, patet ex *Ier. XXXI, 31. seq. ecce dies venturi sunt, dictum Iehouae, quibus pangam cum domo Israelis & cum domo Iehudae nouum foedus; non secundum illud foedus, quod pepigeram cum maioribus eorum, quo die prehendi manum eorum, vt educerem eos e terra Aegypti; nam ipsi irritum fecerunt foedus meum, & ego coniugio coniunctus mansissem eis; dictum Iehouae. Nam hoc illud est foedus, quod pangam cum domo Israelis, post dies hos, dictum Iehouae, indam legem meam menti eorum, & cordi eorum inscribam eam, & ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus. Non autem docebit amplius quisque amicum suum, & quisque fratrem suum, dicendo: cognoscite Iehouam: nam quotquot erunt, cognoscent me, a minimo eorum, vsque ad maximum eorum; dictum Iehouae, me condonare iniquitatem ipsorum, & peccati ipsorum non recordari amplius;* itemque *cap. XXXII, 40. 41. & pangam ipsis foedus perpetuum, fore, vt non auertam me a prosequendis ipsis: & reuerentiam mei indam animo ipsorum, vt non recedant a me, cet.* Etenim haec ipsa verba de nouo testamento exponit Paulus *Ebr. VIII, 8. seq.* Cum ergo & antecedens & consequens scriptura *versiculi 55.* ad nouum huius saeculi spectet testamentum; non potest non ex placito GERHARDI consequi, Sodomam, dudum tenebris sepultam, in hocce temporis interuallo ad vitam & salutem reuocatum iri. Quod an conueniat Paullinis verbis: *hominibus semel moriendum est, deinde subeundum iudicium, Ebr. IX, 27.* lectoris arbitrio relinquimus.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Sed alienum a ratione putat GERHARDVS, relicta illa sceleroſa Sodoma *Gen. XIX.* de alia hic cogitare. Quaſi vero numquam gentes Sodomitarum ſimiles Sodomae nomen in ſcriptura ſacra ſortiantur. Conf. *Eſ. I, 10. Deut. XXXII, 32. Ierem. XXIII, 14. apocal. XI, 8.* At hic Iudaei, inquis, a Sodoma diuerſi, nequeunt intelligi, §. *333.* Aliae vero gentes vitam aeque ſceleratam agentes atque Sodomitae, nonne poterunt intelligi? Non poſſunt, inquis, contextu aliud iubente.] Cum enim *v. 49.* Sodoma propria deſignetur, fieri nequit, vt *v. 55.* alia dicatur Sodoma. §. *330. p. 292.* Tantum vero abeſt, vt tua ſententia contextu iuuetur, vt eo potius vehementer labefactetur. Docet enim idem ille contextus, nec *v. 49.* nec *v. 55.* Sodomam illam, dudum deuaſtatam, intelligi debere. Primum enim eam Sodomam memorat Ezechiel, quae cum filiabus ſuis aeque ſedeat ad Iudaeorum dextram, atque Samaria ad ſiniſtram; *v. 46.* quod de Sodoma, euerſa olim funditus, dici nequit. Deinde cum diuinus vates iniquitates Sodomae ſtudio commemoret *v.* 49. nec tamen vllam nefariae libidinis mentionem iniiciat; quis credat, veterem illam Sodomam hic innui, cuius flagitia eo maxime redibant? Conf. *Gen. XIX, 5.* Iure ergo hic cum GROTIO & Ammonitas, & Moabitas, & alias gentes, per Sodomam intelligimus, vtpote iisdem, quae hic narrantur, ſceleribus infectos & priſcos Sodomitas impietate aequantes, ideoque etiam a Deo amotas *Ez. XVI, 50.* Conf. *Eſ. XVI, 6. Ierem. XXXIVII, 25. 26. XXXXVIII, 4. ſeq.* Hac enim ratione omnis contextus ſibi conſtat. Sed & haec ad ſcopum ſancti vatis optime collineant. Is enim cum Iudaeorum perditiſſimos flagitioſiſſimosque

que mores demonstrare velit; ostendit, eos non tantum fratres suos Samaritanos *v. 51.* sed & ipsas pessimas gentes *v. 47. seq.* exsecrabili nequitia aequasse, immo superasse. Atque hos mores populi iudaici tunc temporis fuisse, patet ex *II. paralip. XXXVI, 12.--16.* Accedit denique, quod & euentus rei hunc confirmat sensum. Quando enim dicitur *Ez. XVI, 55. si sorores tuae, Sodom & filiae eius reuertentur ad pristinum statum suum, cet.* tempore noui testamenti, vbi *plenus gentium numerus ecclesiam intrat Rom. XI, 25.* postquam *Deus etiam externis aditum ad vitam per morum correctionem dedit, act. XI, 18.* haec omnia euenire nouimus. Parum ergo, immo nihil, ex dicto hoc Ezechielis lucratur GERHARDVS ad confirmandam suam apocatastasin.

§. XXXIV.

Vnum adhuc apocatastaseos propugnaculum, ex sanae doctrinae analogia exstructum, & GERHARDO §. *601. pag.* 478. & nobis, demoliendum videtur. Enimuero cum GERHARDVS largiatur, quod non nemo nostratium, Siracidis * placito: κατὰ τὸ πολὺ ἔλεος αὐτοῦ, οὕτως καὶ τὸ ἔλεγχος αὐτοῦ subscribens, adseruit, eamdem esse irae ac misericordiae diuinae rationem: probare porro satagit, vel confirmari apocatastasin, vel solui vinculum analogiae, si hoc principio vtamur; cum corruat analogia nostra, si nullum finem ponamus irae Dei, §. 324. & adstruatur apocatastasis, si misericordiam finitam habeamus, iram diuinam desituram hoc ipso concedentes. §. *324.* §. *229. p. 288. coll.* §. *601.* Verum quicumque & irae & misericordiae diuinae naturam cognitam habet, eum minime torquebit

* *cap. XVI. vers. 12.*

quebit hicce scrupulus GERHARDI. Quodsi enim & misericordia & ira Dei recte eiusdem amor dicitur, quo vel saluos cupit calamitatibus onustos, seruato tamen ordine sapientissimo, vel tradit in perniciem, qui suae reluctantur sanctitati; neutra, cum Dei amor omni fine careat, finita esse potest. Cum vero damnati, diuinum ordinem turbantes, misericordia diuina destituuntur; in ipsis, non in Deo, culpa haeret. Tibi vero Deus minus misericors videtur, qui nullam in futuro saeculo damnatis impertiatur misericordiam. §. 324. Sed vndenam piis tanta gloria? nonne hoc misericordiae diuinae opus est? Non egent, inquis, misericordia caelicolae, felicitate mira praediti. Non enim, nisi miseris, misericordia tribuitur. Quid dicas, videris ipse ignorare. Nonne eo ipso temporis puncto, quo quis diuina gratia orbatur, omnis perit felicitas? Scilicet, inquis. Sequitur ergo, beatos, qui quidem sine Dei misericordia forent miserrimi, continua Dei misericordia iuuari. Vides itaque, admirabilem in Deo esse misericordiam, nec sanam de diuinis attributis doctrinam labefactari; quamquam cum iustitia & sanctitate Dei eiusdem misericordiam non committamus.

§. XXXV.

Cum itaque hactenus demonstrauerimus, non tantum fundamentis carere apocatastasin; *sect. III.* sed & eamdem diuinis repugnare litteris: *sect. II.* non committemus, vt instituti nostri, quod breuitatem postulat, obliuiscamur. Quamquam enim multa possint adiici, quae caussae nostrae mire inseruiant: nolumus tamen tempus in iis referendis terere; cum quae attulimus, ni fallor, sufficiant. Corrasit sane GERHARDVS plurima ad faciendam fidem apocatastasi:

pleraque tamen cum ita comparata sint, vt sua se futilitate prodant; lectoris patientia abuteremur, si iis diluendis diutius occuparemur. Videri quidem vult GERHARDVS, intemeratam vsurpasse fidem, in adducendis scripturae sacrae dictis. Itaque mirum in modum iactat, quae iterum ad euincendam apocatastasin in lucem protrusit. Sui vero adeo obliuiscitur, vt doctrinae purioris studiosos, sententiamque abhorrentes, quae finem ponit cruciatibus, quos Deus finiri vetat, nefandis oneret criminibus. Cumprimis scripturarum nefarie corruptarum, qui non adiiciunt apocatastasi calculum, vehementer accusat, eos verbis *Prou. XXX, 6. Deut. IV, 2. apoc. XXII, 18.* grauiter obiurgans. Quodsi vero, trabe prius ex oculo suo exemta, ad eximendam festucam ex aliorum oculo accessisset, sibi aliisque consuluisset melius. Nam toties a vero aberrauit, scripturae testimonia erroribus accommodans; quoties praeconceptis opinionibus indulsit. Quod vt plurimis exemplis demonstrauimus, vbi supra de praecipuis eius argumentis exposuimus, quibus & apocatastasin adstruere, & aeternum duraturas poenas eludere conatur: ita multo plura restant, quae longa serie referri possent, nisi superuacaneum videretur, in discutiendis, quae sua sponte diffluunt, tempus auro contra carum fallere. Ipse vir clarissimus, qua pollet vi ingenii, facili negotio haec omnia perspiceret; nisi abriperetur studio sententiae, & sibi iam ad sapientiam peruenisse videretur. Sperare quidem nos iubet, fore, vt in nostram transeat sententiam, si haec apocatastasi argumentis praeponderet: idem tamen cum alibi subiiciat, fieri non posse, vt ab opinione dimoueatur, quae animo suo penitus insederit; ludere promissis non iniuria putatur.

§. XXVI.

§. XXXVI.

Nisi ergo amore veritatis ducerer, quae quo diligentius consideratur, eo vehementius delectat, numquam animum ad scribendum appulissem. Interim id operam dedi, vt breuissime, ambagibus verborum procul facessere iussis, quae ex scriptura sacra iudicaui cognita, exponerem. Quo vtitur GERHARDVS scribendi genus eo studiosius vitaui, quo id longius remotum est ab omni charitate. Plane enim mihi est persuasum, contentionibus eiusmodi, quae plus dicacitatis quam amoris habent, ecclesiam non tam iuuari quam turbari. Neque tamen facere potui, quin profiterer libere, mihi ineptias GERHARDI, quibus diuina verba saepe conspurcauit, tanto minus probari, quanto magis scripturae sacrae aduersantur. Id certe agere videtur, vt eos omnium ludibrio exponat, qui ipsius placitis, cum ea sacris litteris videant contraria, nequeunt subscribere. Quando enim fingit eos sermones istiusmodi habentes, qui homini, sana ratione gaudenti, in mentem numquam venerint: nonne eos omnibus propinat deridendos? An Deo probaturus sit aculeos contumeliarum, quos in viros praestantissimos emisit; de eo valde dubito. Iusto enim Deus vtitur iudicio, nec quemquam innocentem sinit, qui illudendis delectatur aliis hominibus, quos eodem, quo se, amore prosequi iubetur. Nec est, quod multorum exemplis sibi GERHARDVS blandiatur, qui eadem via incedentes non tam rationibus quam dicteriis pugnent; hoc ipso quam longe a vita moribusque Christi absint, ostendentes. Praestat enim, corrigere peruersam mentem, & peccatorum sordibus abstergi; quam iisdem defendendis & Deum ad iram prouocare, & alios ad geminam audaciam perpellere.

pellere. Satis denique adflicta est ecclesia, vt GERHARDVS hoc negotio, findendi eam & turbandi, supersedere iure potuisset. Deo vero male factorum rationem reddent, qui rixis ansam praebent inutilibus, posthabita vitae emendatione summe necessaria. Verum has diabolus vsurpat artes, vt hominibus, a seria sui correctione reuocatis, dissidia obiiciat, quibus aetatem ludant, & aeterna se defraudent beatitate. Omnis nimirum condocet historia, hac via itum esse in summam morum corruptionem, quam seuera Dei numquam non excipiunt iudicia. Itaque peto, rogo, obtestor GERHARDVM, vt haec cum animo suo probe consideret. TE vero, NVMEN CLEMENTISSIMVM, veneraramur supplices, vt ipse his occurras malis, quae tuam inundant ecclesiam. Nisi enim tu ecclesiae vulneribus medearis, cuncta corrumpentur misere. Da vero etiam, vt quidquid hoc laboris est, id vergat vnice in TVAM GLORIAM.

1. Chemnitius de S. Coena
2. Fechtius de Sacrificio Missae
3. Pfaffius de S. Coena.
4. Werensdorf de S. Coena.
5. Id. de S. Coena.
6. Id. de S. Coena.
7. Werenfels de S. Coena.
8. Schmidius de Oblatis Eucharisticis.
9. Werner de Jure excludendi à S. Coena.
10. Pritius de Pelagianismo.
11. Holzius de quatuor Novissimis.
12. Gerhard de Appellatione ad Supremum Judicem.
13. Braun de Statu animae hum: post mortem.
14. Clausing de controversia Nestorianismi.
15. Götzii disquisitio num moribundus et.
16. Mosheim de Felicitate Coelitum.
17. Sontag Neutralitas Religionum.
18. Scherzerus de peccato in Spir: S.
19. Losius de Praedestinatione rerum hum:
20. Werensdorf de absoluto Decreto.
21. Löscher de Paroxismo abs: Decreti.
22. Buthaut de Concubinatu à Xto prohibito.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862091616/phys_0107
DFG

Werensdorf de Polygamia.
Hulsius de turpitudine incestae
Claessenii animadversiones.
Budeus de poena damnatorum ô finienda.
Wolle de Interitu mundi.
Velthemius de Justificatione.
Mieg de pariete intergerino.
Mosheim de tribus in terra testibus.
Heüdenus de Mosis resuscitaõe.
Neubauer de Corpore Mosis.
Neubauer de Michaële Archangelo.
Neubauer de Michaele Archangelo.
Holtzfus de Evangelio.
monis de ratione
ollius de Theologia.
mpe de Inspiratione &c.
rimesius de Canonibus Apostolorum.
ajüs de unico S.S. principio.
ltzfus de SS.
gstii Dissertaõ de fundamentis Revelaõis
man de Divinitate Scripturae

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862091616/phys_0111
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862091616/phys_0112
DFG

Verum innocentiam Calvini ingenue
ruit ipse Bellarminus lib. 2. de Christo
nquiens: *sed quanquam hæc ita se habeant,*
ipsam excutio, & Calvini sententias diligen-
facile audeo pronunciare, illum in hoc er-
uidem docet, Filium esse à se, respectu Essen-
Personæ, & videtur dicere velle, Personam
tre, Essentiam non esse genitam, nec produ-
se ipsa, ita, ut, si à Persona Filii removeas
trem, sola restet Essentia, quæ est à se ipsa.
productis Calvini verbis ex Instit. lib. 1.
5. probat, licet, quoad modum loquen-
um erraſſe judicet. Ibid. c. 5. p. m. 326.
i inquit; *Utinam semper sic erraret Calvi-*
Recognitione quidquam in contrarium
ellarmini moderationem erga Calvini
probat Petavius Theol. Dogm. Tom. 2.
p. m. 618. Loquendi formulam simpli-
am, ut Sabellianæ hæresi affinem existi-
inius in Epist. ad Joh. Uytenbog. quæ ex-
æstant ac Erudit. Viror. Ep. 44. p m. 58.
. Bullus Defens. Fid. Nicænæ sect 4. §. 7.
40.

§. XVII.

initatis dogma probat Spiritûs S Perso-
as. Spiritum S. esse personam divinam
initarii, qui Spritum S. Dei *Virtutem,*
ationem, Auram, Agitationem & *Qualitatem*
lumque, *quatenus in Deo manet* ut Spiritus
immanens, Virtutem Dei Naturalem; quæ
oncipienda, sit; *quatenus* vero à Deo fide-
que à Deo in homines manat, *Virtutem*